VALENTINA CONGREGATIONIS,

SEU CAPITULI INTERMEDIJ ALMÆ PROVINCIÆ VALENTIÆ

Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, celebratæ die 27. Aprilis 1698. in Regali S. Francisci Conventu eiusdem Civitatis.

PRÆSIDE

REVERENDISSIMO PATRE FR. ANTONIO FOLCH DE CARDONA, COMMISSARIO GENERALI, &c.

Proponitur factum, & ab impugnationibus, & excipientium telis liberatur; firmantur electiones; & dubia, quæ excogitari valent contra illas, enodantur.

1 CUM Tempus celebrandi Congregationes, seù Capitula intermedia in Provincijs S. P. N. Francisci Observantium, & S. Ioannis Baptistæ Discalceatorum Regni Valentini appropinquaret, Reverendissimus Pater Fr. Antonius Folch de Cardona, totius Ordinis S.P.N.Francisci in hac Familia Cismontana, omniumque Novæ Hispaniæ, & Regni Peruani Provinciarum Commissarius Generalis Valentiam pervenit, vt in illis præsideret. Ingressus fuit Conventum prædictæ Civitatis die 9. mensis Aprilis anni 1698. hora octava matutina. Die autem decima immediatè sequenti, ad vesperum, se transtulit in Cōventum S.Ioannis Baptistæ à Ripa, qui extra mœnia eiusdem Civitatis extat, vt ibi Congregationē Patrum Discalceatorum celebraret, vt de facto celebravit die 16. mensis Aprilis, qui fuit Mercurij dies. Eodem die lecta ad cœnam Congregationis Tabula, confirmavit omnes electiones, vt die Iovis sequenti, qui erat 17. eiusdem mensis, redire posset ad Conventum S. P. N. Francisci, vt ibi Congregationem Patrum Observantium celebraret die 19. eiusdem mensis, qui erat pro illius celebratione assignatus à sua Reverendissima Paternitate. Et cùm eodem die ad dictum Conventum S.Francisci pervenisset, in primo sui Conventus ingressu invrbanè receptus fuit, publicèque tentatum per Notarium Sæcularem ei Litteras Monitoriales Rmi Auditoris Cameræ Apostolicæ iniungere; quatenus in eis præcipiebatur, nihil innovari super prætenso ingressu in Diffinitorio Rdi P. Fr. Ioannis Rodriguez, Patris immediati, subrogando locum Patris Fr. Iacobi à Victo-

Victoria, immediati Ex-Provincialis. Cùm igitur dictus Rmus P. Commissarius Generalis observasset imprudentiam in tali attentata notificatione coram Sæcularibus extra Claustra, Regularium lites propalando cum ingenti scandalo, & Dignitatis suæ dispendio; dum Rma sua Paternitas esset promptè, & benignè paratus ad admittendum dicti Monitorij iniunctionem tempore, & loco opportuno, absque nota, & Sæcularium strepitu: cumque dictus Notarius destitisset ab attentata notificatione, postmodum eàdem die reversus fuit cum magno comitatu, & Rmus P. Commissarius Generalis eum in Cellam suæ habitationis admisit, iniunctionem Litterarum vrbanè, & iucundè ferens; Notariumque prævenit, quod si in eventum aliqua alia notificatio necessaria foret, procederet absque nota, & scandalo: nam locus erat tutus, seque eàdem benignitate, & vrbanitate semper permissurum quascumque alias iniunctiones.

2 Litteræ autem Monitoriæ iniunctæ expeditæ fuere à Rmo Cameræ Apostolicæ Auditore ad instantiã Patris Fr. Iacobi à Victoria Ex-Provincialis immediati dictæ Provinciæ, falsa narrando, verà tacendo, & sic subreptitiè. Asseruit namque, subrogationem Patris immediati non esse permissam, nisi in casu deficientiæ, hoc est, per mortem Ex-Provincialis immediati, non per absentiam, etiam longam, & in loca remota.

3 Veritatem celavit; nam omisit exponere, quòd Pater Rodriguez erat iam admissus in Diffinitorio, subrogando in locum Patris Victoriæ, esseque in possessione suffragandi, & faciendi omnia, quæ Pater immediatus ex iure, & secundum Constitutiones Ordinis facere potest: admissus namque fuit die 22. Ianuarij 1697. & suffragium dedit in Congregationibus Diffinitorialibus celebratis diebus 25. & 26. Ianuarij 1697. & 15. Iulij, & 30. Decembris prædicti anni. Omisit etiam, quòd causa ingressus, & admissionis Rdi P. Rodriguez non solum fuit absentia Patris Victoriæ, sed eius à Conventu Alonensi fuga, & discessus absque legitima Superiorum auctoritate, immò contra obedientiam ei iniunctam à Rmo Patre Commissario Generali; & quòd fuit, vt Apostata declaratus à Guardiano dicti Conventus, & posteà vt talis publicatus ex iniuncto Rmi P. Commis. Generalis præcepto.

4 Cùm autem prædictæ Litteræ Monitoriales, ante ipsarum notificationem, venissent ad notitiam Rmi P. Commissarij Generalis; certò credens obtentas fuisse ad impediendum Congregationem intermediam: nam supposita convocatione ad diem destinatam, notificatæ non fuerunt vsque ad Congregationis angustias, vt Pater Rodriguez destitutus remedio accedendi ad Superiorem, protestationem emitteret, & non suffragaretur; existimansque sui muneris esse Vocales legitimare, & non excludere eos, qui erant in pacifica possessione suffragandi; ad Tribunal Rmi, & Illustrissimi D. Hispaniarum Nuncij Apostolici, & Legati à latere accessit, illique narravit verum factum, & mala, quæ procurabantur à Patre Victoria in prædicta instantia; ideòque non esse rationi consonum, vt Pater Rodriguez excluderetur à sua possessione; obtinuitque ab Illmo D. Nuncio Litteras, in quibus præcipiebatur in virtute sanctæ Obedientiæ, sub pœna excommunicationis maioris Apostolicæ, vt prædictum Monitorium Auditoris Rdæ Cameræ ad suam Illmam remitteretur. Ac sub eadem Obediẽtia, & Apostolica Censura præcipiebatur Patribus, Diffinitorij, quòd, non obstante tali Monitorio, celebraretur Congregatio, subintrando in Diffinitorio Rdo P. Fr. Ioanne Rodriguez in locum R. P. Iacobi Victoria.

5 Quæ litteræ expeditæ fuerunt die 9. Aprilis 1698. & iniunctæ RR. PP. Prouinciali, & Diffinitoribus sub die 17. eiusdem mensis, & anni, post Monitorij Rmi Auditoris Cameræ iniunctionem. RR. PP. Prouincialis, & Diffinitores responsum distulerunt vsque ad vesperam diei 18. eiusdem mensis. Et cùm maior pars non vellet parère mandatis Illmi D. Nuncij; necessarium fuit, quòd Rmus P. Commissarius Generalis consuleret, quid in hoc casu esset faciendum, & quomodo esset procedendum in legitimatione Vocalium, vt culpabilis, & malitiosa dilatio Diffinitorij in iniunctione Monitorij Rmi Auditoris Cameræ enervaretur, & R. Pater Rodriguez à sua possessione, & voce non expoliaretur.

6 Non acquieuit maior pars Diffinitorij vsque ad diem 27. dictorum mensis, & anni, & inter moras venit ad notitiam Rmi P. Commissarij Generalis, quòd P. Fr. Felix Francès, vnus ex Diffinitoribus, erat iudicialiter sententiatus à Sancto Inquisitionis Officio, ante quàm ad Diffinitoriatum Provinciæ eveheretur, in pœnam exilij à Ciuitate Valentina, à Villa Castellionis de la Plana, & à Villa Mattiti; & reclusionis in Conventu de Requena per quatuor annos, & per totidem in pœnam privationis ab exercitio concionandi; & demum in pœnam retractandi se à quibusdam propositionibus, quas in Pulpito Villæ Castellionis protulerat. Cumque clamor Religiosorum cresceret, & diffamatio esset publica, prædictus Rmus Pater testes recepit: & cum ex illorum depositionibus plenè de tali condemnatione, & sententia constaret, à Reo confessionem postulauit, qui medio iuramento confessus fuit, se iudicialiter fuisse condemnatum in pœnas prædictas. Vnde præcedente citatione ad videndum se declarari notoriè, & pro notorio sententiatum, & pœnitentiatum à Sancto Officio, incursumque in pœnas Decreti Vrbani VIII. die 1. Octobris 1626. declaratum fuit dictum Patrem Fr. Fœlicem Francès esse notorium sententiatum, & pœnitentiatum à Sancto Officio, inhabilemque ad Officia, & gradus Religionis in perpetuum; nullamque, & irritam fuisse de ipso factam electionem, iuxta Vrbani VIII. Decretum prædictum: quæ declaratio, & sen-

fententia promulgata fuit à R. P. Fr. Ioanne Ximenez, Secretario Generali Ordinis, & Notario Apoftolico, fub die 20. Aprilis 1698.

7 Appellauit P. Francès à dicta fententia, appellatioque el denegata fuit à Rmo P. Commiffario Generali: quia non interpofita fuit modo, quo de iure requirebatur; & quia, attenta qualitate caufæ, non debebat admitti.

8 Cùmque ex probationibus in dicto proceffu factis refultaret, dictum P. Francès fuiffe promotum ad officium Diffinitoris Provinciæ Valentinæ contra Decretum Vrbani VIII. neceffum fuit inquirere Promotores; cùm ifti in Decreto eàdem pœna afficiantur, qua Promoti.

9 Capta igitur informatione, clarè appatuit, Rdum P. Fr. Ferdinandum Lopez femper habuiffe fub tutela fua, patrocinio, & filiatione dictum P. Frances; provt vfus exigit in Provincia Valentina: confequenterque pro viribus procuraffe, dictum P. Frances femel, & iterum in Guardianum inftitui. Et quamvis poft prædictas inftitutiones in Diffinitorio ortæ effent dubitationes de ineligibilitate prædicti P. Frances; quia fupponebatur ab aliquibus, fententiatum fuiffe à Santo Officio in pœnas graves; ipfe tamen R. P. Lopez oppofuit fe, afferendo, & defendendo, non præcefsiffe fententiam iudicialem; immò pœnas inflictas non fuiffe per fententiam, eafque non effe graves, fed pœnitentias falutares. Conftitit etiam, dictum P. Francès fuiffe inftitutumGuardianum Conventus de Elda in Capitulo celebrato anno 1693. fuffragante prædicto R. P. Lopez; vt patet ex quatuor teftibus receptis, qui in Diffinitorio interfuerunt, negando fuffragium, ex confilio inter eos ante, & poft electionem habito: quibus detractis, cùm in Diffinitorio effent nouem Vocales, remanent alij quinque, qui fuffragium affirmativum dederunt Patri Frances, & inter ipfos nominatur R. P. Lopez, qui eum propofuit, & patrocinatus fuit in ipfo actu electionis, defendendo, Patrem Francès non fuiffe fententiatum à Sancto Officio iudicialiter, nec condemnatum in pœnas graves. Et infuper confefsione recepta à dicto R. P. Lopez, iudicialiter, & medio iuramento confeffus fuit ferè omnia prædicta, & in fpecie in antedicta electione dictamen affirmativum præbuiffe pro P. Francès, ipfumque propofuiffe ad electionem pro fui confolatione in fchedula dari folita à Patribus Provinciæ. Quibus peractis, & data copia criminum, & probationum, tacitis teftium nominibus; Rmus P. Com. Gen. præcepit per decretum Rdo P. Lopez, vt à voce abftineret, & quatenus neceffum effet, eum fufpenfum declaravit. Et poftmodum audito P. Lopez, concefsis terminis defenforijs, fuit promulgata fententia fub die 7 Iunij 1698. declarando, dictum P. Ferdinandum Lopez effe Promoventem dicti P. Francès, incurfumque in pœnas privationis Officiorum, & vocis activæ, & paffivæ, fecundùm feriem, & tenorem Decreti SS. D. N. Urbani VIII. die 1. Octobris 1626.

10 Appellavit prædictus R. P. Lopez à prædicta fententia, eique denegata fuit appellatio; quia nec interpofita fecundùm ius, & quia verba Decreti inducentis privationem Officiorum celeritatem denotabant.

11 Cùm autem dies primò afsignata pro Congregatione effet tranfacta abfque illius celebratione; quia nempè RR PP. Provincialis, & Diffinitores voluerunt excludere Patrem Ioannem Rodriguez à voce, quæ ei competebat, fubrogando in locum Patris Victoriæ, & expoliando eum à poffefsione, in qua erat, & ad litem fedandam, eiufque, provt de iure erat, admifsionem confequendam; neceffarium fuit confumere tot dies, quot à die 17. Aprilis 1698. vfque ad 26. eiufdem menfis, & anni; in quo decretum citationis, & convocationis ad dictam Congregationem faciendam, & celebrandam datum fuit à Rmo P. Commiffario Generali: in cuius executionem citati fuerunt omnes de Diffinitorio, excepto dicto P. Ferdinando Lopez, & Felice Francès, ad diem 27. Aprilis dicti anni. Quibus congregatis in Cella habitationis fuæ Rmæ, prima fefsione iterum intimatæ fuerunt præfatæ Litteræ Illmi, ac Rmi D. Nuncij, relatæ fuprà, num. 4 quæ quidem admiffæ fuerunt à maiori parte Diffinitorij. Quo facto, Rmus P. Commiffarius Generalis iufsit citari R. P. Fr. Ioannem Rodriguez, provt factum fuit. Illoque cum præfactis Patribus de Diffinitorio congregato, & propofita electione Diffinitoris ob declaratam inhabilitatem Patris Francès, fuit electus cum feptem ex octo Vocalibus R. P. Fr. Andræas Ybañez, Lector Iubilatus: quæ electio fuit confirmata in cõtinenti, & deventum fuit abfque proteftu, & appellatione ad electionem Guardianorum dicto die 27. Aprilis, & inftituti fuerunt omnes Guardiani, & Tabula publicata, nemine proteftante, nec appellante, provt conftat ex Actis prædictæ Congregationis.

12 Cùmque tàm P. Francès, quàm Ferdinandus Lopez fuas profequantur appellationes, & toto conatu intendant dictam Congregationem annullare; quia ipfis non vocatis (immò, vt aiunt, exclufis) fuit deuentum ad electiones, pendentibus appellationibus interpofitis à prædictis fententijs, & Decretis: operæ pretium duximus dubitationes proponere, eafque enodare, vt in cognitionem veritatis deueniatur, & operationes Rmi P. Commif. Generalis ea, qua decet iuftificatione, & zelo factæ comperiantur; folo namque iuftitiæ, pacis, & propriæ confcientiæ fine motus, & fui Officij obligatione adftrictus, ad examen legitimorum Vocalium devenit: credens, non poffe contra verba Decreti Urbani VIII. Vocales fic inhabiles, & in eo privatos, admittere.

13 Dubia autem, quæ poffunt proponi contra prædictam Congregationem funt quinque. Primum; vtrùm ingreffus Rdi P. Rodriguez, tamquam Pater immediatus fubrogatus, fuit licitus, non obftante Monitorio Rmi Cameræ Apoftolicæ Auditoris?

Se-

14 Secundum: an post citatam, & convocatam Congregationem, potuit differri, & de novo convocari?

15 Tertium; an iustè processum fuerit contra P. Frances, & declaratum, notoriè esse sententiatum à Sancto Officio, incursumque in pœnas Decreti Urbani VIII?

16 Quartum; vtrùm sententia lata contra P. Fr. Ferdinandum Lopez, & decreta contra ipsum prolata, sint valida?

17 Quintum; an electiones factæ in ea Congregatione diei 27. Aprilis, non citatis, nec vocatis (imò exclusis, vt asseritur) prædictis Patribus Francès, & Lopez, subiaceant nullitati, an verò veniant annullandæ?

DUBIUM PRIMUM.

An ingressus R. Patris Rodriguez, tanquam Pater immediatus subrogatus, fuerit validus, non obstante Monitorio Reuerendissimi Cameræ Apostolicæ Auditoris?

18 Occasionem dubitandi præbuit Statutum Generale Capituli Romani anni 1651. quod revisum fuit cum alijs Statutis Generalibus eiusdem Capituli, & approbatum in Capitulo Generali Toletano 1658. *vbi cap. 4. de Patribus antiquiori, & moderno, §. 1. num. 5. statuitur*, ibi: *Loco illorum Patrum absentium non sunt alij subrogandi, etiamsi absentia larga, & distantissima sit intra, vel extra Prouinciam: quia subrogatio non habet locum nisi per vacantiam Officij, ad instar Diffinitorum Prouincialium; vel quia antiquior, vel recentior Pater iam intrant Diffinitorium alio titulo.*

19 Iuxta dispositionem huius Statuti Generalis videtur dicendum, Rdum P. Rodriguez non esse de corpore Diffinitorij, neque illi competere ius ingrediendi Diffinitorium; in illoque tanquam Pater recentior subrogatus in locum Rdi P. Victoriæ, non potuisse, nec posse suffragari, non solùm in electionibus, sed neque in omnibus alijs, quæ pertinent ad illos, qui sunt de corpore Diffinitorij, & vocem activam habent.

20 Imò cum esset ab illo Diffinitorio extraneus, poterat expelli, non solùm virtute Monitorij Rdæ Cameræ Auditoris, sed etiam quia extraneus non potest admitti ad electionem, & eius admissio ipsam vitiat, & annullat; cum sit contra formam capitis *Quia propter, de elect.* & tradit Donatus *in praxi, part. 3. tract. 2. quæst. 15.* quem refert Passerinus *de elect. cap. 3. num. 34. & 35.* cuius ratio hæc est, ibi: *Quia nullus potest tradere ius ad eligendum, nisi habent ad hoc facultatem à Papa, à quo, tanquam à fonte, totum hoc ius promanat.* Consequenter ad hanc doctrinam etiam videbatur dicendum, quòd omnes electiones Diffinitoriales, in quibus admissus fuit ad vocem activam dictus R. Pater Rodriguez, tanquam Pater recentior subrogatus, fuissent ipso iure nullæ; cum fuerint factæ contra formam capitis *Quia propter, de elect.*

SATISFACTIO DUBIJ.

21 Sed his non obstantibus, dicendum est, dictum R. P. Rodriguez habuisse ius, vt Diffinitorium ingrederetur tanquam Pater immediatus subrogatus in locum R. P. Fr. Iacobi Victoria, non obstanre Monitorio Rmi Cameræ Auditoris, electionesque in quibus habuit assistentiam, & vocem, validas ex integro esse, nec propter hoc posse annullari.

22 Primò: quia propter absentiam Patris modernioris debet Diffinitorium ingredi, tanquam subrogatus, Pater immediatus; ita vt semper assistant Diffitorio Pater antiquior, & Pater recentior, vel Patres immediati loco illorum, taliter vt eorum assistentia in Diffinitorio non desideretur, vel quando quacumque ex causa deficiant. Præceptum hoc est in Motu proprio Vrb. VIII. incipit: *Onerosa Pastoralis officij. Datt. Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 23. Iulij 1639.* ibi:

23 *Duo tantùm Patres Prouinciæ in prædicta singularum Prouinciarũ Vltramontana Familia huiusmodi Diffinitorio introducantur; vnus scilicèt, qui in Prouincia dignior sit, ille nimirũ qui inter Patres Prouinciæ primum locum sibi vindicat, qui quidem semper in Diffinitorio assistat. Alter verò, qui immediatè Ministri Prouincialis officium absolverit, vt sequenti etiam immediatè triennio dumtaxat eam obtineat dignitatem, & in Diffinitorio assistat; ea lege tamen, vt si iste ex qualibet causa deficiat, in eius loco subrogatus eo ipso sit, qui ante ipsum immediatè Minister Prouincialis extiterit. Triennio autem huiusmodi transacto, alius qui Ministri Prouincialis officio etiam immediatè functus fuerit, subsequatur; & sic deinceps de triennio in triennium dumtaxat servetur: ita quòd nunquam hi duo Patres in dictarum Prouinciarum Diffinitorijs desiderentur.*

24 Idem habetur ex Statutis Gener. Rom. ann. 1639. *tit. de Patribus Prouinciæ.* Vbi loquendo de Patre recentiori, hæc habet verba: *Quòd si ante triennium deesse contingat, alius assumatur, qui immediatus extiterit*; in quo Statuto illa verba *Deesse contingat*, intelligenda sunt iuxta verba Decreti Vrb. VIII. nempè: *Vt si iste ex qualibet causa deficiat, in eius loco subrogatus eo ipso sit, qui ante ipsum Minister Prouincialis immediatè extiterit.*

25 Et hunc esse sensum dicti Statuti, convin-

vincitur ex ipso procœmio, ex quo mens Statuti exhauritur. Panormit. *in cap. aduersus, de immunit. Eccles. num. 2. l. final, ff. de hared. instit, cap. quia propter, de elect.* Navar. *de dat. & promis. num. 7.* in procœmio enim continetur causa finalis Statuti, *per textum in dicta l. fin. de hared. instit.* & ibi Bartolus, Baldus, & Imnola. Sanctorus *super Statuta Ordinis, cap. 8. Stat. 68. pag. 537. vers. Respondeo.* Et in eodem *cap 8. Stat. 71. pag. 541. vers. Sciendum tertio*; & ita standum est procœmio Legis, in quo est mens ipsius. Et esto, verba videantur contraria, attendendum magis est ad mentem in procœmio explicatam, quàm ad verba ipsius legis. *Cap. Humana 22. quæst. 5.* Sylvest. *verb. Dispensatio, q. 4. n. 7.* Sanctor. *dicto cap. 8. Stat. 69. vers. Respondeo.*

26 Statutum autem Capituli Generalis Romani 1639. in forma specifica confirmatum à SS. D. N. Vrban. VIII. (Bulla Confirmationis incipit: *In supremo Apostolatus Solie*) explicat suã mentem in procœmio, *tit. de Patribus Prouinciæ*, ibi: *Sed aliquos, qui rerum Religionis experti in Capitulis, Congregationibus, & Diffinitorijs assistentes, auctoritate sua, & consilio alios in efficio nevos erudiant, & compescant.* Igitur mens statuentium est, quòd Patres, antiquior, & moderniot in omnibus Diffinitorijs assistant, vt auctoritate sua, & consilio novos in officio erudiant, & compescant. Ergo illa verba Statuti: *Si deesse contingat* (respectu Patris moderniotis) & illa alia: *Cùm per mortem vacare contigerit* (respectu Patris antiquioris) intelligenda sunt latissimè, & secundùm expressionem factam in Decreto Vrban. VIII. ibi: *Ex qualibet causa deficiat; ita quòd nunquàm hi duo Patret in dictarum Provinciarum Diffinitorijs desiderentur.* Quòd si non intelligeretur de longissima absentia, esset contra mentem Statuti; quia tùnc novi in officio non haberent à quibus erudirentur, & compescerentur.

27 Dictum Decretum observate præcipit idem Vrban. VIII. sub gravissimis pœnis, Ministro, & Commissario Generalibus nostri Ordinis, ibi: *Quocircà dilectis Filijs Ministro, & Vicario, seù Commissario Generalibus dicti Ordinis in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus, vt præsentes Litteras, & in eis contenta quecumque, à sibi subditis omnibus, ad ques spectat, & pro tempore spectabit quomodolibèt, sub excommunicationis, privationisque suorum officiorum, & vocis activa, & passiva pœnis, eo ipso incurrendis, debitæ executioni demandari, ac inviolabiliter observari curent, & faciant.*

28 Notanda veniunt verba Decreti, ibi: *Vt si iste ex qualibet causa deficiat, in eius loco subrogatur eo ipso sit, qui ante ipsum Minister Provincialis immediatè extiterit.* Non enim Summus Pontifex subrogationem restrinxit ad casum mortis, sed ad causam vniversalem, vt illa verba: *Ex qualibet causa deficiat* apertè indicant Illa enim dictio *ex qualibet causa* vniversalis est, & omnia comprehendit, etiam quantumvis minima. *L. cum quid, ff. si certum petatur*: & notat Glos. in verb. *Quaslibet alias*; *l. omnes, C. de Quadren. præscript. & in Clementin. 1. verb. Quamvis alia, de re iudicata*, Menoch. *cons. 33. num. 21.* Francisc. de Ponte *decis. 3. num 4* Francisc. Leo *in Thes. for. Eccl. part. 1. cap. 15. num. 65* Decius *cons. 619. num. 2.* Rebuf. *in comment. ad leg. credit. 11. verb. Quibus, ff. de verb. signific. pag. 75.*

29 Etiam observanda veniunt illa alia verba Decreti, scilicet: *Ita quod nunquam hi duo Patres in dictarum Provinciarum Diffinitorijs desiderentur*: vbi dictio *nunquam* nullam recipit restrictionem, cùm sit indefinita, Cravet *cons. 199. num. 6* Cephalus *cons. 172. num. 15.* est enim illa dictio vniversalis negativa, omnem casum comprehendens, & nullum excludens, *l. Providendum, §. 1. vbi Glos. Cod. de postulando*, Octavian. Vulpe *de proposit. & ad verb. significat.* sub hac dictione, pag. 67. Barbos. *tract. varij. uict. 231. num. 1.*

30 Cùm autem propter fugam, & Apostasiam Patris Victoria, qui erat Pater immediatus, & moderniot, & propter excommunicationem contra illum latam, deficeret, & desideraretur in Diffinitorio Rdus P. Fr Ioannes Rodriguez, qui erat Ex-Provincialis immediatus, debuit subrogare; aliàs enim contraventum esset dicto Decreto Vrban. VIII. & Rmus P. Commis. General. illius ingressum in Diffinitorio ratione subrogationis pro tunc debebat imperare, ne afficeretur pœnis latis contra Prælatos Generales, qui non faciunt observari dictum Decretum ad vnguem ab illis, ad quos spectat respectivè.

31 Deindè, quia R. P. Ioannes Rodriguez vocatus, & admissus fuit in functionibus Diffinitorialibus à toto Diffinitorio, nemine discrepante, vt loco R. P. Iacobi Victoria subrogaretur, in executionem dicti Decreti Vrbani VIII. *Ex qualibet causa deficiat*: quia deficiebat à Diffinitorio Pater moderniot propter fugam, & apostasiam, cuius assistentia in Diffinitorio desiderabatur.

32 Et cum effectu Diffinitorium ingressus fuit in Congregationibus Diffinitorialibus (sine interruptione aliqua) habitis à die 22 Ianuarij 1697. & in alia habita die 15. Iulij, & in alia habita die 30. Decembris eiusdem anni. In quibus Congregationibus Diffinitorialibus, inter alia, celebrata fuit electio Guardiani Conventus de Onda, & fuit electus in Guardianum P. Fr. Faustinus Leo, & in dictam Guardianiam confirmatus. Item facta fuit electio trium Lectorum liberalium Artium.

33 Ex quibus actibus nemini dubium esse potest, quòd R. P. Rodriguez erat in quasi possessione eligendi non solùm alios Officiales, sed etiam Prælatos: per vnicũ enim actum quasi possessio electionis adquiritur; quia cùm electio sit actus, qui non solet fieri nisi ab illis, qui possident ius eligendi, qui semel interfuit electioni factæ in Diffinitorio, intendens vti iure suo, quasi possessionem adquirit, Petrus Rebuf. *tom. 3. comment. in Constit. Regul. tract. de mater. posses. num. 188 ex cap. Consultationibus, de iure Patronat.* Baldus *cons. 32. incipit: Quidam*

*nobilis, in fine, volum.*1. Federicus *conf.*234 Abbas *conf.*54. *volum.*1. *casus contingentia*, Iulius Laborius *de elect. Canon. tit.*4.*cap.*15.*num.*11. Barbos.*ad cap. cùm Eccles.*3.*de causa possess.num.* 20. Passerin. *de elect. cap.*14 *num.*28. ibi: *Nam requiritur, quòd ipse elegerit ex intentione habendi ius eligendi, & quod admissus fuerit, sciente, & patiente Collegio, tanquàm ille, cui ex iustitia conveniat eligere.*

34 Nec aliud requisitum ad habendam quasi possessionem electionis defuit: nempè quòd talis electio habuerit effectum, & fuerit confirmata, vt tradunt DD. *in cap. Cùm de Benef. de Prebend. in 6. & in cap. Dilecto*, Bart. *in l.* 1. *§. Hoc interdicto, ff. de interim, actuque privationis.* Laborius *dict cap.*15. *num.*12. Passerin. *de elect. cap.*14. *n.*29. quia electiones, tàm Guardiani de Onda, quàm aliorum Officialium factæ in Diffinitorijs, in quibus R. P. Rodriguez, vt Pater modernior, interfuit, confirmatæ fuerunt, & habuerunt effectum completum.

35 Neque hæc quasi possessio dicenda est possessio simplicitèr, sed possessio iusta: cùm dictus R. P. Rodriguez, & PP. Diffinitorij verè crederent, in bonaquè fide essent, dicto Patri Rodriguez competere ex iustitia ius ingrediendi in Diffinitorium, vt Pater immediatus subrogatus in locum Patris moderniotis, qui deficiebat à Diffinitorio propter causam suæ apostasiæ; quod colligitur, imo expresè habetur ex actibus Diffinitorialibus die 22. mensis Ianuarij, anni 1697. vbi invenitur decretum Diffinitorij, per quod omnes PP de Diffinitorio in Diffinitorium admittunt tanquam Patrem moderniorem Rdum P. Fr. Ioannem Rodriguez, subrogando illum pro tùnc, hoc est, durante apostasia Patris Iacobi Victoria, iuxta dispositionem Decreti Vrban. VIII. virtute cuius declarant, deberi admitti tanquam Patrem immediatum, & cum effectu admissus fuit

36 Quæ omnia supponunt bonam fidem, & veram credulitatem, tàm in R. P. Rodriguez, quàm in Patribus Diffinitorij; & per consequentiam ad bonam fidem possessio R. P. Rodriguez iusta debet nominari. Panormit. *in cap. Bone* 4. *de postulat. Prælat. num.*20. Passerin. *de elect. cap.*14. *num.*28. ibi: *Ad iustam possessionem adquirendam requiritur in adquirente bona fides, & quòd verè credat, sibi competere ius eligendi.* Et infrà: *Vndè ad hanc possessionem adquirendam sufficit intentio, per quam intendat eligere, tanquam ius habens ad eligendum: in Collegio verò requiritur scientia, & patientia; quia scilicèt non admiserit extraneum ex gratia, sed sciens, illum intendere eligere ex iustitia, & patiens, eum sic eligere.*

37 Hinc R. P. Rodriguez debuit ad electiones, & ad alias functiones Diffinitoriales vocari, tanquam vnus de Diffinitorio, vt in illo assisteret, & eligeret Guardianos, & alios Officiales, cùm esset vocis activæ bona fide possessor. Laborius *de elect. cap.*15. *tit.*4. *num.*16. nam illi dicuntur habere ius eligendi, qui sunt in quasi possessione bona fide, *ex cap. Consultationib. de iure Patronat. cap. Querelam, cap. In Genesi, de elect.* Glos. ad Lancelot. *tit. de elect. §. Nam cum, vers. Ius habent*, Laborius *dict. tit.*4. *cap.*15. *num.*16.

38 Neque in contrarium adducta alicuius sunt momẽti: quia Statutum Toletanum 1658. in quo disponitur, quòd subrogatio non habeat locum nisi per vacantiam officij non potuit annullare, nec revocare Statutum factum in Romano Capitulo, anno 1639. & contentum in Motu proprio Vrban. VIII. quia Statuta Capituli Romani fuerunt confirmata in forma specifica; & Statutum de Patribus Provinciæ est etiam confirmatum in forma specifica ex Motu proprio, & ex certa scientia, vt patet ex eadem Bulla Vrban. VIII. quæ incipit *Onerosa*: ideòque non iam Statutum Generale, sed Pontificium debet dici, ex traditis à Peyrino *tom.*1. *de subdit. ad Constitut.*2. *Sixti IV. §.*6. *num.*4.

39 Quo in casu non potest tale Statutum revocari à Capitulo Generali, ex allegatis per Sylvestrum, *verbo Priuilegium, quæst.* 10. *dist.* 7. Suarez *de leg. lib.*6. *cap.*26. *num.*16. Tamburin. *de iure Abbatum, tom.*3. *disp.*3. *quæst.*7. *num.*6. Bonac. *de leg. disp.*1. *quæst.*2. *punct.*1. *num.*15. & 16. Peytinis *ad dictam Constit.*2. *Sixti IV. num.*2. ibi; *Ex quo formo generalem Regulam; quòd privilegium ab inferiori concessum, & à Superiore confirmatum, ab inferiori ampliùs revocari non potest, si confirmatio fuit ex certa scientia.*

40 Et quamvis gratia, & privilegium, qualis est confirmatio, & approbatio Constitutionum, potest renunciari ab eo, cui est concessum, *ex cap. si terra, cap. Accedentibus, de priuilegijs.* Et ibidem DD. & in specie Constitutionum confirmatarum à Sede Apostòlica. Rodriguez *quæst. Regul. tom.*1. *quæst.*10. *art.*4. Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæst.*29. *art.*8. *conclus.*1. & 2. Portel *dub. Regul. verb. Statutum, num.*11. Lezana *tom.*1. *Summæ, cap.*8. *num.*22. hoc debet intelligi, quando dicta confirmatio Constitutionum non est essentialis, sed tantùm accidentaliis: quia si est essentialis; nempè, quando per eam vult Pontifex, vt dictæ Constitutiones observentur nomine suo veluti factæ; quod cognoscitur, quando per modum Decreti ab ipso confirmantur; tunc sunt Constitutiones Papales, & non possunt revocari à Capitulis Generalibus; ex traditis à Lezana *tom.* 4. *consult.* 6. *num.* 44. & 49. Constitutio autem de Patribus Provinciæ Papalis censenda est, cùm non solùm sit confirmata in forma specifica, sed etiam contineat præceptum circa illius observationem.

41 Deinde, quia verba Statuti Toletani, ibi: *Quia subrogatio non habet locum nisi per vacantiam officij*; non se restringunt ad vacantiam per mortem naturalem; quia vacantia officij duobus modis contingere potest. Primo verè; scilicèt, quando vacat per mortem naturalem: secundo interpretativè, scilicèt, quando habens dignitatem est excommunicatus, vel suspen-

fus.

ſus. Hoſtieſis in *Summa, tit. de Sede vacante, § Quot modis dicatur Sedes vacare? num. 2.* & probatur *ex cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. Prabend. cap. Quia diligentia, de elect.*

42 Et ſuadetur: quia excommunicatus, vel ſuſpenſus reputatur mortuus; *cap Vilis 16. quaſt. 2.* Gloſſ. *in cap. Inter corporalia, §. Sed neque, verb. Inutilem, de translatione Epiſcoporum.* Eadem Gloſſ. *cap. Si Epiſcopus, in verbo Sed Capitulum, de ſupplenda negligentia Pralatorum, in 6.* Hoſtienſis *in cap. per venerabilem, num. 35. qui filij ſint legitimi.* Farinac. *de delictis, & pœnis, quaſt. 19. num. 35.* Murga *ad Conſtitut. 6. & 2. Alexandri IV. num. 1048. pag. mihi 273.*

43 Omnia comprehendit Fagnanus *ad cap. Quia diuerſitatem, de conceſſ. Prabend. num. 17. & 22.* ibi: *Quot modis dicatur Sedes vacare? Hoſtienſis ait, Sedem vacare duobus modis; ſcilicèt, verè, vt in tit. ne Sedevacante; & interpretatiuè, quia Pralatus eſt hareticus, excommunicatus, vel ſuſpenſus.* Et num. 22. *Quemadmodum ergo cùm Sedes vacat verè, iuriſdictio devoluitur ad Capitulum; ita cùm vacat interpretatiuè, ſcilicèt, Pralato excommunicato, vel ſuſpenſo, quia mortuus reputatur.*

44 Cùm ergo Pater Victoria, qui erat Pater recentior, eſſet, vti Apoſtata, excommunicatus, & publicè, vt talis nominatim denunciatus, debet dici, quòd interpretativè vacavit eius dignitas, ex qua habebat ingreſſum in Diffinitorium, & quaſi mortuus debuit reputari. Propter quod etiam in terminis Statuti anni 1658. debuit R. P. Rodriguez, vti Ex-Provincialis immediatus, habere vocem in Diffinitorio, tanquam ſubrogatus in locum Patris Victoria, cuius dignitas propter excommunicationem vacaverat.

45 Nec valet dicere, quòd Pater Victoria non fuit in re Apoſtata, & fugitivus, quia recurſum habuit ad ſuum Prælatum Superiorem propter gravamina ab ipſo confiicta; ideòque eius excommunicationem fuiſſe iniuſtam; quia quamvis hoc verum eſſet, adhuc illum excommunicatio ligabat, & erat verè excommunicatus, conſequenterque vacavit eius dignitas interpretativè. Licèt enim excommunicatio ex cauſa falſa lata ſit in re iniuſta, in foro tamen externo iuſta reputatur, & verè ligat excommunicatum. Paludan. *in 4. ſentent. diſt. 18. quaſt. 1. concl. 4.* & ibi Ricardus *art. 7. quaſt. 2.* Adrianus *in cap. Quodlibet 6. quaſt. 1. verſ. Sed dubium eſt.* Turrecremata *in cap. Siquis Epiſcopus 11. quaſt. 1.* Cayetan. *in Opuſcul. tract. 27. quaſt. 13.* Covarrub. *in cap. Alma Mater, in 6. §. 7. concl. 2. pag. mihi 473.*

46 Ex quo R. Pater Rodriguez non poterat dici extraneus, ſed legitimus vocalis, habens ius, & vocem in Diffinitorio. Imò quamvis extraneus eſſet, propter hoc non erant infirmandæ electiones: quia licèt extraneus non poſsit admitti à maiori parte, poteſt tamen admitti à toto Capitulo, nemine reclamante, & contradicente. Navarr. *lib. 1. conſ. 2. de conſuetud. num. 3. & lib. 5. conſ. 9. de ſimonia,* Lezan. *part. 1. cap. 15. num. 20.* Vulpe *in praxi, cap. 13. num. 34.* citans Vincentium de Franc. *deciſ. 2. num. 21.* favet Panormitan. *cap. Cum Eccleſ. de cauſis poſſeſsionis, num. 43.*

47 Neque propter hanc admiſsionem extranei electiones redduntur nullæ, nec ſunt annullandæ, vt non benè voluit Donatus, aſſerens, eſſe contra formam præſcriptam *in capit. Quia propter, de elect.* quia vt optimè notavit Paſſerinus *cap. 3. num. 36. Talis electio non eſt contra formam capitis, Quia propter; quia ibi ſtatuitur, vt ſint praſentes, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe; non verò prohibetur, vt non interſint, qui non debent intereſſe.* R. autem P. Rodriguez ab omnibus de Diffinitorio fuit admiſſus, & non vt extraneus, ſed vt habens ius ad intereſſendum in electionibus, & actibus Diffinitorialibus iuxta Decretum Vrban. VIII. quo modo erat in quaſi poſſeſsione ingrediendi, & in Diffinitorio ſuffragandi; & ſic quidquid factum fuit in illis particularibus Congregationibus Diffinitorialibus debet ſuſtineri.

48 Nec Monitorium Cameræ Auditoris illi intimatum removit R. P. Rodriguez à ſua quaſi iuſta poſſeſsione. Primò, quia Rmus Cameræ Apoſtolicæ Auditor nullam habet iuriſdictionem in Regulares in prima inſtantia, vt deciſum fuit à Sacra Congregatione die 5. Iulij 1650. & refert Lantuſca, *verb. Auditor Camera, num. 4.* cuius ratio eſt, quia cauſæ Regularium in prima inſtantia debent iudicari à ſuo Ordinario, *ex cap. Cauſa omnes, 20. ſeſſ. 24. Concil. Trident. de reformat.* Sub quo comprehendi omnes Regulares, docent Riccius *in pract. aurea, reſolut. 126. & in Pract. Curia Archiepiſcopalis, part. 4. reſolut. 273. num. 3. & deciſ. 271. num. 6.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg. 81. num. 3.* Flores Diaz de Mena *practic. lib. 1. quaſt. 12. num. 8.* Ioannes Maria Novarius *in pract. noui iuris Pontific. in cap. de cauſis prima inſtantia, concluſ. 1. aliàs 54. num. 1.*

49 Rmus enim Cameræ Apoſtolicæ Auditor eſt Iudex Delegatus, & non Ordinarius Regularium, Gloſ. *in Clement 1. Auditor, de reſcriptis,* & ibi Cardinalis, *num. 6.* Staphileus *in tract. de ſignat. iuſtitia, praelud. 1. num. 6.* & per illa verba Tridentini *dict. cap. 20. ſeſſ. 24. de reformat.* ſublata eſt poteſtas omnium Iudicum Delegatorum in prima inſtantia, ibi: *Aut alij quarumcumque facultatum vigore.*

50 Secundò, quia Auditor Cameræ vigore ſuarum facultatum ordinariarum non poteſt citare vltra duas diætas. Marcheſan. *de commiſsion. executor. Breuium, part. 1. cap. 1. num. 91. fol. 323.* Burat. *deciſ. 250. num. 2.* Ridolphinus *in praxi, part. 1. num. 5.* Et quando decernit Monitoria virtute commiſsionis ſpecialis, debet obſervare ad vnguem formam litterarum exequendarum, vt quis non evocetur extra propriam Diœceſim vltra numerum diætarum in eis expreſſarum. Ridolphin. *vbi ſupra, num. 52.*

51 Et cum in occurrenti caſu Rmus Auditor Ca-

Cameræ Apostolicæ non posset Monitoria expedire virtute Constitutionum, nec Brevis vltra numerum duarum diætarum, meritò dicendum est, RR. PP. Provincialem, & Diffinitores iniustè processisse, prætendendo exclusionem Patris Rodriguez à Diffinitorio: & fortiùs, quia dictus Pater Rodriguez pro conservatione sui iuris notum fecit Provinciali, & Diffinitoribus die 16. Aprilis 1698. mandatum Illmi, & Rmi Hispaniarum Nuncij, quo præcipitur, vt R. Pater Rodriguez ad functiones Congregationis intermediæ admittatur, non obstante Monitorio Auditoris Cameræ, propter difficilem accessum ad Romanam Curiam, instante electione, cui mandato obedire tenebantur, eo vel maximè cùm prædictum Monitorium Rmi Auditoris Cameræ notatum fuerit de subreptione.

52 Vltimò, quia abstinendo à quæstione, quis maior Prælatus sit respectu Regularium in Hispania, & cui ex duobus obediendum est, vel Auditori Cameræ, vel Illmo D. Hispaniarum Nuntio, contraria præcipientibus: cùm in hoc casu non sint mandata contraria; cùm Rmus Cameræ Auditor præcipiat, nihil innovari super ingressum R. P. Rodriguez in Diffinitorio, & Illmus D. Nuncius præcipiat, admitti in Congregatione intermedia dictum R. P. Rodriguez, quæ admissio non est contraria præcepto de nihil innovando: Adhùc ergo supposita inferioritate Illmi D. Nuncij respectu Rmi Auditoris Cameræ Apostolicæ, & quòd præcepta essent contraria, adhùc obediendum erat Illmo D. Nuncio; quem, credendum erat, habere iustam causam dispensandi in tali præcepto. Fr. Anton. à Spiritu Sancto in suo Director. *tract.* 3. *disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 46.

53 Et quamvis nihil horum in nostro casu occurreret, & Monitorium Rmi Cameræ Apostolicæ Auditoris esset executioni mandandum, adhùc non poterat excludi R. P. Rodriguez ab assistentia Congregationis intermediæ: quia in dicto Monitorio præcipitur, nihil innovari in ingressu ipsius in Diffinitorio; continuando autem P. Rodriguez in sua quasi possessione non attentabat, neque innovabat, ex vulgata regula, *qui continuat, nō attentat.* Glos. *in cap. non solùm, de appellat. in* 6. Lancelot. *de attent. cap.* 4. *ampliat.* 1. *num.* 13. cum alijs relatis apud Seraph. *decis.* 432. *num.* 4. Rota *decis.* 74. *num.* 4. *part.* 1. *recentior. & decis.* 411. *num.* 3. *part.* 2. Posthius *de manutenendo decis.* 159. *num.* 2.

DUBIUM SECUNDUM.

An post citatam, & convocatam Congregationem, potuit differri, &, illa instante, potuerunt Processus formari?

54 Occasionem dubitandi præbuit Statutum Generale Romanum 1639. *tit. de Ministro Generali*, ibi: *Ordinatur à Capitulo Generali, nè liceat Ministro Generali, & multo minùs alijs inferioribus Prælatis, qui electionibus præsident, illas iam inchoatas suspendere, aut his iam congregatis, ad quos spectat, faciendis Congregationibus interesse, eos impedire, nè fiant. Prætereà ijsdem Prælatis Generalibus interdicitur, nè functiones, quæ ad Congregationem legitimè convocatam spectant, suspendere, aut impedire præsumant; scientes, totum hoc irritum fore, vtpotè violentum, & libertati electionis contrarium.*

55 Ex quo Statuto tria colligit Sanctorus, in Statuta Ordinis, *cap.* 8. *Statut.* 53. *pag.* 517. Primum, posse Prælatos suspendere Congregationes iam citatas, non tamen congregatas; quia Statutum, de Congregationibus tantùm citatis nihil disponit, & solùm de Congregationibus iam congregatis, vel inchoatis, statuit.

56 Colligit secundò, non posse Prælatos Generales Congregationes iam inchoatas suspendere: & tunc censentur inchoatæ, cùm Patres sunt vniti in loco Capitulari ad id destinato. Concilium enim Tridentinum incœptum esse declaratum fuit, dum Patres in Ecclesiam ad hoc deputatam in vnum convenerunt; vt patet ex sessione prima eiusdem Concilij Tridentini.

57 Colligit tertiò, quòd vt Statutum habeat locum, non est necessarium, vt Diffinitorium congregetur in vnum cubiculum, vel in locum Capitulare, sed sufficit convenisse in destinato Conventu, quia cùm fuerint in dicto Conventu, iam sunt congregati ad celebrandam Congregationem; Statutum enim distinguit inter electiones *iam inchoatas*, à Patribus *iam congregatis*; & prohibet, nè impediant functiones ad Congregationem legitimè congregatam spectantes.

RESOLUTIO DUBIJ.

58 Sed quamvis omnia hæc in communi vera sint, in specie tamen nostri casus locum non habent; & illis non obstantibus, dicendum est, potuisse Rmum P. Commissarium Generalem suspendere Congregationem iam citatam, & congregatam, non obstante dicto Statuto Generali.

59 Et ratio est; quia licèt dies Capituli intermedij fuerit assignata, & Patres illius iam essent in Conventu Valentino, qui pro celebratione dictæ Congregationis erat assignatus, congregati; R. Pater Provincialis cum alijs Pa-

Patribus de Diffinitorio pro viribus curarunt functiones Congregationis differre, & ab illa excludere R. Patrem Fr. Ioannem Rodriguez, qui erat in quasi possessione ingrediendi Diffinitorium, tanquam Pater immediatus subrogatus in locum R. Patris Victoria, à tempore, quo propter apostasiam excommunicatus fuit.

60 Et vt hoc consequi possent, reservaverunt intimationem Monitorij Rmi Audiroris Cameræ Apostolicæ ad diem 17. Aprilis, biduo ante diem assignatam pro Congregatione celebranda; in quo Monitorio præcipiebatur, Patrem Victoria non molestari, & nihil innovari super ingressum in Diffinitorio ratione subrogationis. Quæ notificatio causam dedit dilationi Congregationis intermediæ; cùm discutiendum esset de valore Litterarum Illmi, & Rmi D. Nuncij, & aliarum Rmi Auditoris Cameræ Apostolicæ, vt perpenderetur ius prætensum à R. Patre Rodriguez, cuius erat iustè possessor.

61 Et cùm certum sit, quòd impeditis impedimento facti, aut iuris, non currit tempus ad electionem, *ex cap. Quia diuersitatem, de concess. Preb. cap. His quibus 60. de elect.* & ibi DD. Panormitanus, Baldus, Barbos *num. 2.* Mandosius *part. 1. cap. 1. & 2.* Tabiena *verb. Electio, num. 7.* Pax Iordanus *lib. 10. tit. 12. num. 26.* & Rota apud Seraphinum *decis. 220. num. 4.* & *decis. 852. num. 9.* Segismundus à Bononia *dub. 101. n. 5.* Castelinus *de elect. cap. 6. num 7.* Passerin. *de elect. cap. 13. num. 23.* ibi: *Ideò, si Electores sint impediti ex impedimento, quod non possunt tollere, illis tempus electionis non currit.*

62 Quod adeò certum est, vt etiamsi impedimentum oriatur ex culpa, impeditis adhuc tempus electionis non currit. Colligitur ex dicto capite *Quia diuersitatem*; vbi est sermo de impedimento suspensionis, quod regulariter ex propria culpa incurritur. Pax. Iordanus *dict. lib. 10. tit. 12. num. 27.* Passerin. *dict. cap. 13. num. 26.* ibi: *Suffragantur dies impedimenti, etiamsi impedimentum ex culpa impediti aduenerit.*

63 Ex hoc, tempus litis super iure eligendi debet reputari pro tempore iusti impedimenti, vt sic impedito non currat tempus. Federicus *cons. 232.* Rebuf. Lambertus, & alij, quos refert, & sequitur Garcia *de Benef. part. 10. cap. 2. num. 19.* Passerin. *de elect. dict. cap. 13. num. 27.* ibi: *Ex hoc sequitur, quòd tempus litis super iure eligendi, est tempus iusti impedimenti: vnde sic impedito non currit tempus.*

64 Quod probatur: quia etiamsi in die pro celebratione Capituli Provincialis assignato electio non fiat, & devoluatur ad Prælatum Superiorem, iuxta dispositionem Clementinæ *Exiui. de verb. significat. §. Caterùm*, ibi: *Caterùm si Capitulum memoratum die prædicta Ministrum eligere prætermittat; ex tunc Ministri Provincialis prouisio ad Generalem Ministrum liberè devoluatur.*

55 Non obstante, si dies electionis Capituli Provincialis differatur ad aliud tépus, non quia vota inter se dissentiant, sed ex eo quòd inter Electores exortum fuerit dubium super potestate eligendi; vt, verbi gratia, quibus competat; nec hoc dubium resolutum sit antequam tempus labatur; tunc quia licitè, & validè suspenditur Capitulum, electio non devoluitur ad Ministrum Generalem, sed remanet penes ipsos Vocales. Colligitur *ex cap. 2. de: in integrum restitutione.* Panormit. *in cap. Quoniam quibusdam, num. 6. de iure Patronat.* Biaxi. *in suo Direct. de elect. part. 1. cap. 23. num. 1.*

66 Sigismundus à Bononia *de elect. part. 3. cap. 2. dub. 105. num. 3.* ibi: *Non devolui electionem ad Superiorem, si tempus ad eam celebrandam elapsum sit, non ex eo, quòd vota inter se dissentiant, sed ex eo quòd inter Electores emerserit quæstio super potestate eligendi; vt, verbi gratia, quibus competat; nec decisum fuerit antequàm labatur tempus, cuius rei potissima ratio videtur esse, quia non est quòd imputetur habentibus ius eligendi, cùm per eos non stetur quin eligant, sed per litem sibi obiectam.*

67 In specie nostri casus cùm mota esset quasi lis super iure eligendi, in quo erat quasi in possessione R. Pater Rodriguez, & reservata fuisset ad illas Congregationis angustias, necessarium visum fuit Congregationem intermediam differre, vt esset tempus discutiendi super merita prætensionum, nè cæco modo, vt dicitur, vel admitteretur extraneus, vel legitimus ab electione repelleretur.

68 Ad rationes dubitandi respondetur, quòd Statutum Generale prohibens suspensionem Congregationum iam congregatarum, intelligendum est de suspensione dolosa, & temeraria, vt indicat illa verba Statuti, *Suspendere, aut impedire præsumant.* Vbi dictio *præsumant* denotat dolum, & temeritatem. Baldus *cons. 486. num. 5. volum. 4.* Barbantius *in cap. Prudentiam, notab. 1. de offic. Delegat.* Iacobus de Graffijs *in decis. aureis, lib. 1. cap. 13. num 72.* Navar. *in Manual. cap. 27. num. 156. cum seqq.* Menoch. *cons. 793. num. 10.* Sanchez *de matrimon. lib. 9 disp. 32. num. 38.* Loterius *de re beneficiaria, lib. 2. quæst. 14. à num. 54.*

69 Non autem intelligitur, quando Prælati Generales Congregationes iam congregatas ex causa rationabili suspendunt, & in alium diem transferunt; tunc enim non suspendunt, nec impediunt *præsumendo*, cùm id bona fide faciant. Navarr. *in cap. Accepta, de restitut. spol. opposit. 33. & in Extravag. de datis, & promis. num. 35. verb. Audeat, siue præsumat.* Avendañ. *de exequendis mandatis, lib. 1. cap. 14. num. 38. vers. Verùm sicut pœna.* Zenedus *ad Decretal. collect. 45. num. 3.*

70 Quandò enim occurrit causa, benè potest suspendi Congregatio iam congregata, & in aliam diem illam transferre sine Constitutionis contraventione, hæc enim non comprehendit casus particulares, in quibus recta ratio suadet, licitam esse translationem Congregationis, vel causa occurrens id necessariò petit; eo vel maximè, quia consuetudine introductũ est, Rmos Prælatos Generales posse differre

C

ferre Capitula, & Congregationes iam congregatas, & transferre in alium diem cum causa sufficienti, licèt non gravissima, qua de re plùrima extant exemplaria Capitulum enim Provinciale Provinciæ Valentiæ immediatè transactum convocatum erat ad diem Sabbathi 27. mensis Octobris. Et vt P. Victoria frui posset privilegia Patrum, translatum fuit ad diem 28. eiusdem mensis, in qua adimplebat biennium physicum sui Vicariatus Provincialis, de quo Patres Valentinæ Provinciæ non conqueruntur. Congregatio immediata Patrum Discalciatorum Provinciæ Valentinæ convocata fuit, & congregati iam Patres ad diem Sabbathi 12. Aprilis 1698 & propter quoddam Monitorium Rmi Auditoris Cameræ, Rmo P. Commissario Generali intimatum, translata fuit ad diem 15. eiusdem mensis Quia etiam quando dies electionis est à lege præfixus, & determinatus cum devolutione ad Superiorem, si electio in illum diem non celebretur, si causa occurrat, potest differri absque eo quòd habeat locum devolutio. Passerin. *de elect. cap.* 13. *num* 37. ibi: *Qua assignata, & adveniente, non est ampliùs in potestate alicuius illam mutare; sed si Provincia eo die non elegerit, devolvitur electio ad Magistrum Ordinis. Quamvis & tunc posset esse articulus tanta necessitatis, & impedimenti, vt non devolueretur electio ad Generalem.*

71 Deindè, quia ex consensu Patrum Diffinitorij licitum est Congregationem iam congregatam suspendere, & transferre; quia tunc non fit Provinciæ iniuria; cùm Patres, qui eam repræsentant, non maneant dilusi, quæ est ratio Statuti assignata à Sanctoro *dict. cap.* 8. *Statutorum, Stat.* 53. § 517. *vers. Colligitur tertiò,* & cùm PP. Valentinæ Provinciæ essent præsentes in Conventu Valentiæ, & ad suspensionem Congregationis, & illius translationem in alium diem tacuissent, illa taciturnitas pro consensu intelligenda est, secundùm vulgare axioma iuris: *Tacens consentire videtur. Lib.* 2. §. *Voluntatem, ff solut. matrim. l. qui tacet, ff. de regul. iur.* Menoch. *cons* 246. *num.* 26. *& cons.* 259. *num* 14 Mascard. *de probat. conclus.* 1218. Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 9. *num.* 20. Azor *institut. moral part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *in principio.*

72 Quod procedit non solùm in favorabilibus, sed etiam in pœnalibus favore Ecclesiæ, & piæ causæ (qualis est electio Prælatorum) quæ concernit ad bonum Provinciæ; quia tunc tacens, etiam in ea, quæ illi præiudicium parant, consentire videtur. Roman. *cons.* 311. *num.* 5. Sosin *cons.* 291. *Visis litteris, num.* 1. *lib.* 1. Tiraquel. *de privilegijs piæ causæ, privileg.* 131. Barbos. *axiom. iuris, axiomat.* 217. *num.* 5.

73 Si ergo taciti, & expressi idem est iudicium, *l. cum quid, ff. si certum petatur, l. si filius familias, ff. eod. tit.* Federic. de Senis *cons.* 100. *factum in princip.* Covarrub. *in cap Quamvis pactum, de pactis, lib.* 6. *part.* 2. *in initio, num.* 6. *in medio*; Menoch. *cons.* 108. *num.* 54. Idem *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 40. *num.* 8.

74 Infertur, quòd PP. Diffinitorij expressè consentiendo, poterant permittere; quòd Congregatio iam congregata suspenderetur, & in alium diem transferretur, quia Statutum hoc non prohibet, nec est contra ius commune. Passerin. *de elect. cap.* 13. *num.* 37. *& cap.* 11. *num.* 68. ibi: *Potest enim Præses de consensu maioris partis Vocalium terminum à iure statutum restringere, & etiam mutare*; hoc idem potuerunt, tacitè consentiendo.

75 Quando autem Constitutio præcipit, quòd Prælati Generales non suspendant, aut impediant functiones spectantes ad Congregationem legitimè congregatam, vt ex illo optimè colligit Sanctorus, intelligendum est de suspensione dictarum functionum sine causa: quia cum illa non solùm potest diferre functiones præambulas ad electiones, sed & ipsas electiones diferre potest. Passerin *de elect. dict. cap.* 11. *num.* 69. ibi: *Quia cum ex iusta causa possit differre electionem, & ad eius iustum arbitrium sit à iure commissa determinatio temporis eligendi; eo iustè nolente in tali hora eligere, non possunt Electores eius iustæ voluntati resistere; ideò Præses citandus est, & monendus, & eius voluntati standum, si sit iusta.*

76 Cùm ergo exortum fuerit dubium inter Vocales, an R. Pater Rodriguez haberet ius eligendi, vel non; & requireretur tempus ad tale dubium discutiendum, maximè stantibus Litteris in contrarium pro vna, & altera parte, quæ occasionem dederunt suspensioni Congregationis intermediæ; & vt probatum manet à num. 63. vsque ad 66. est causa sufficiens nè electiones die assignata celebrentur: potuit Rmus P. Commissarius Generalis, tanquàm Præses illius Congregationis, non obstante Statuto, illam suspendere, & transferre, maximè accedente tacito consensu omnium Patrum Diffinitorij.

77 Nec Vocales Diffinitorij cogere poterant Rmum Commissarium Generalem ad celebrandas functiones, & electiones Congregationis intermediæ die pro illa assignato; quia quamvis quando Prælatus est negligens in electione, potest moneri à Vocalibus, vt in diem assignatam eligat, *ex cap.* 1. *de supplenda negligentia Prælatorum*; & ibi Panormit. *num.* 1. Tamen in nostro casu Rmus P. Commissarius Generalis non fuit negligens, nec illum Electores cogere poterant ad electionem cum dictis monitionibus; habebat enim iustam causam diferendi Congregationem. Passerin. *de elect. cap.* 11. *num.* 70. ibi: *Et ex Innocentio etiam addi debet, eum Superiorem non esse negligentem, qui habet iustam causam differendi. Vndè Electores non possunt cogere Præsidem ad electionem, quando ipse habet iustam causam differendi electionem.*

78 Nec Patres Diffinitorij, qui de hac suspensione conqueruntur, & de Processibus in ipso termino Congregationis à Rmo P. Commissario Generali formatis contra Patres, Fran-

cès,

cès, & Lopez, conqueri possunt; cùm ipsi sint primi, qui Constitutioni contravenerint; & qui causam dat contraventioni alicuius Statuti, vel præcepti; conqueri non potest de alterius contraventione. *L. cum proponas* 2. *cap. De pactis*. Bartholus *in l.* 1. *§ Cum Arietes, ffi si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*. Beccan. *consl.* 45. *à num.* 6. Rota *diversf. decis.* 369. *num.* 4. *p.* 4. Rota *decis.* 208. *num.* 10. *p.* 5. *recent*. Bichius *decis.* 656. *num* 14. *&* 16. Patres enim aliqui de Diffinitorio voluerunt eijcere ab illo R. Patrem Rodriguez, intimando Monitorium Rmi Cameræ Auditoris Rmo Patri Commissario Generali, & Patri Rodriguez; iste autem defendit suum ius, præsentando litteras ab Illmo; & Rmo D. Nuncio Hispaniarum obtentas. Igitur pars contraria in ipsas angustias Congregationis excepit contra Patrem Rodriguez, ab ipsaque incœpta fuit contraventio Statuti; & per consequens conqueri non potest, quòd Rmus P. Commissarius Generalis hac de causa suspenderet Congregationem, & prædictos Patres Francès, & Lopez, ex nova causa emergente, processaret.

79 Ex his ad secundam dubij partem, nempè, vtrùm instante Congregatione; potuerunt Processus formari, & causæ decidi? Ratio dubij provenit ex Statuto Generali alterius Familiæ, *cap.* 8. *§.* 39. *num.* 11. ibi: *Privationis vero pœnam aliquem incurrisse sine Diffinitorio declarari non possit. Idem etiam omninò Visitatores Provinciarum observare teneantur: Qui omnes Vocalem nullum in Capitulo privare possint, sed per mensem ante Capitulum sententiam difinitivè ferant sub nullitatis pœna* Et Decretum Eminentissimi Cardinalis Fabritij relatum à Lantusca, *verb. Causa, seu lis, num* 2. tenoris sequentis:

80 „ Fabritius Divina inspiratione, tit. „ S. Augustini S. R. E. Presb. Card. Verallus „ nuncup. totius Ordinis S. Francisci Minoris Obs. Protector, Corrector, & Gubernator, &c. Ad tollendas inquietudines prædicti Ordinis, quæ in Capitulis Provincialibus, ob Vocalium privationem oriuntur, „ facto verbo cum Sanctissimo D. N. renovamus Decretum Prælatorum Visitationis, & „ Reformationis Apostolicæ, emanatum sub „ die 14. Octobris 1601. quod est tale: *Privationis vocis activæ, & passivæ; ac inhabilitatis „ Decreta, sententiavè ab eisdem Superioribus Ordinis latæ, nè deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturvè, atque ex promulgatæ Vocales minimè afficiant, nisi per mensem antè fuerint intimatæ parti, Sanctitas sua omninò vetuit* „ Quod Decretum omninò servari mandamus „ sub pœnis arbitrio nostro infligendis contravenientibus. Commissionem verò, seu declarationem prædicti Decreti, in contrarium factam à Sanctitate sua, sub die 26. Novembris „ 1606. de eiusdem Sanctiss. D. N. mandato „ suspendimus. Datum Romæ, in Ædibus nostris, die 27. Maij 1616.

81 Sed his non obstantibus, respondendum est affirmativè, quia hoc de iure prohibitum non est; imò secundùm praxim Religionis; instante electione; proceditur non solum ad exclusionem Vocalis, sed etiam ad privationem vocis activæ, & passivæ, quando fama eius nimis gravata est, vel notoriè constat de crimine; aut per informationem de illo constat; quod approbatum est per Statuta nostræ Familiæ, vt infrà patebit.

82 Nec obstat prædictum Statutum Generale, quia non est huius Familiæ Cismontanæ Hispaniæ, ed alterius Familiæ, ad cuius observationem non astringimur, nisi expressè à Sancta Sede Apostolica extendatur, vt colligitur ex declaratione Sacræ Congregationis *die* 25. *Ianuarij* 1686. Decretum autem Sacræ Congregationis relatum à Lantusca, *verb. Causa, seu lis*, & à Patre Ameno *in Praxi, tit.* 12. *Exceptio, num.* 22. non est Decretum Sacræ Congregationis, sed oraculum vivæ vocis declaratum, & in scriptis redactum ab Eminentissimo Domino Cardinali Fabritio *die* 27. *Maij* 1616. Vnde nec ligat hanc, nec illam Familiam; quod evidenter probatur ex sequentibus.

83 Primò, quia ex lectura Decreti relati à Lantusca; clarè comprehenditur esse vivæ vocis oraculum. Eminentissimus namque Cardinalis, facto verbo cum Sanctissimo, renovavit Decretum Prælatorum Visitationis, & Reformationis Apostolicæ emanatum sub *die* 14. *Octobris* 1601. suspendendo declarationem prædicti Decreti in contrarium factam à Sanctitate sua *die* 26. *Novembris* 1606. Quod quidem non est Decretum, sed oraculum vivæ vocis, quæ sunt Decreta à Summis Pontificibus ore tenùs facta sine scriptura. Bordon. *resolut.* 31. *quæst.* 1. Portel *in dub. verb. Viua vocis oraculū; num.* 1.

84 Oracula autem vivæ vocis fuerunt revocata à Gregorio XV. in sua Bulla, quæ incipit: *Romanus Pontifex in specula, die* 2. *Iulij* 1622. *tom.* 4. *Bullarij, num.* 27. Et licèt in prædicta Constitutione Gregorij XV. à revocatione eximantur oracula viva voce, de quibus constet per subscriptionem alicuius Eminentissimi S. R. E. Cardinalis: posteà tamen Sanctissimus Dominus noster Vrbanus VIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *Aliàs fœlicis recordationis, die* 20 *Decembris* 1631. quæ ad verbum habetur apud Peyrin. *inter Constitutiones Vrbani, Constitutione* 18. *aliàs* 28. Novat. *in Lucerna Regular. verbo Oracula viua vocis*. Lezana *tom.* 2. *pagin.* 474. *de oracul. viuæ vocis; num.* 3. iterum revocavit prædicta oracula, etiam firmata manu quorumcumque Cardinalium, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet concessa.

85 Igitur prædictum vivæ vocis oraculum datum, prout asserit Lantusca, ann 1616. fuit revocatum per Vrbani Constitutionem posteriorem, quæ indubiè comprehendit oracula ante-

cedentia, vt testatur Lezana *tom. 1. de Priuileg. cap. 3 à num. 21. & tom. 2. de oraculis viuæ vocis, pag. 474. à num. 5.* Portel. *tom. 2. respons. casu vltim.* Peyrinis *tom. 3. cap. 12. ad Constitutiones Vrbani VIII. Constitutione* 18. Bordon. *resol.* 31. *quæst. 1. cum sequentibus.*

86 Et quamvis Portel. *tom. 1. respons. cas. vltim.* dicat, prædictam Vrbani Constitutionem revocatoriam Oraculorũ vivæ vocis, fuisse posteà temperatam ab eodem Urbano; tamen *in 2. tom. Respons. Moral. cas. vltim.* asserit, motum fuisse ad id dicendum ex quadam Epistola cuiusdam Provincialis, & alterius gravis Religiosi, qui asserebant, dicta Oracula vivæ vocis esse iterum concessa, & revalidata; se autem vehementer suspicari, non esse revalidata, vel de novo concessa; quod abundè probat vsque in finem casus.

87. Vnde nec attendendi sunt DD. tenentes, non comprehendi oracula firmata manu Eminentissimor. Cardinal Protectorum ea ratione, quia idem Vrbanus VIII. *in appendice* temperavit suam revocatoriam, declarans, non comprehendere oracula expedita per illos Pontificis Officiales, quibus ratione munerum suorum anteà de Summi Pontificis oraculis fides præstari solebat, inter istos Officiales numerando Eminentissimos Cardinales Protectores Religionum, vt voluerunt Peyrinis *in Formulario, litt. Z. & in appendice ad Constitut. Vrbani VIII.* Donat. *tract. 16. de oraculis, quæst. 12.* Cursus Salmanticensis *tom. 4. tract. 18. punct. 6. num. 51.*

88 Nam eorum doctrina fundatur in revalidatione, & nova concessione prædicti Vrbani VIII. de qua non constat. Item, quia licèt talis revalidatoria daretur, & in ea excipentur oracula expedita per illos Pontificis Officiales, non comprehenderentur Eminentissimi Protectores: quia dicti Officiales Papæ annotantur in Extravagant. *Ad regimen, de Præbend. & Dignitat.* vt sunt Camerarij, Vice-Cancellarij, Notarij, &c. non verò annumerantur Protectores.

89 Vnde, cùm Eminentissimus de Luca agat de valore Oraculorum vivæ vocis, solùm excipit data in plena signatura gratiæ, vel quando agitur de actibus gestis, Principe præsente, *vt in tract. de iurisdict. discurs. 82. num. 4. & 5.*

90 Secundò, quia sive accipiatur Decretum relatum à Lantusca, & à Patre Ameno pro Oraculo vivæ vocis, vel prout declaratio Sacræ Congregationis, non constat authenticè; quare fides adhibenda non est in iudicio, vel extrà: & de Decretis Sacræ Congregat. extat declaratio de mandato Gregorij XV facta die 27. Aprilis 1621. quam refert Fagnanus *ad cap. Quoniam, de Constitutionib. n. 59.*

91 Tertiò, quia dictum Oraculum non est in vsu, nec fuit acceptatum in hac Familia, imò semper observatum fuit contrarium; vnde nullam vim habet obligandi, vt tenet Glossa 2. *in cap. Treguas, de tregua, & pace,* ibi: *Legem præcepti nullam vim habere obligandi, si non fuerit vsu recepta, quam dicit singularem.* Immola *num. 12.* Abbas *num. 4.* & plurim. exornat Felinus *num. 6.* & dicit opinionem communem. Hostiens. *in Sum. de tregua, & pace, §. Quot sint species, in fine, versic. Sed quæritur*; & de communi testatur Ruinus *cons. 13. num. 28. lib. 2.* & de magis communi Alexander *cons. 132. visa facti narratione, num. 1. lib. 1.*

92 Leges namque instituuntur cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus vtentium approbantur *§. leges, distinct. 4.* Ergo antequam firmentur non obtinent roboris firmitatem; *cap. Ne captanda, de concess. Præbend. in 6.* Felin. *in cap. Rodulphus, num. 30. de rescript.* Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. in principio* Covarrub. *lib. 2. variar. cap. 16. num. 6.* Nam secundùm Philosophum *lib. 2. Politic. cap. 6. circa fin. Nulla lex vim habet, vt ipsi pareatur, nisi ex more*: Ideò permittitur cuilibet Provinciæ abundare in sensu suo: *cap. Certificari, de sepultur.*

93 Examinat hanc quæstionem Fagnanus *in cap. Treguas, de tregua, & pace, à num. 16.* octoquè refert opiniones: *& num. 46.* dividit quæstionem, & quærit; An lex non recepta ab initio tollatur per non vsum, & quando non vsus habet implicitum contrarium vsum? (hoc est, quando accedente casu fuit contrarium observatum) indubièque tenet, vinculũ legis non obstringere stante non vsu quadraginta annorum, *vt num. 67. & 68.*

94 Cùm autem dicta Constitutio alterius Familiæ, & Decretum, seu Oraculum vivæ vocis, non solùm non sint in vsu in hac Familia, vt notoriè est certum, imò practica expellendi Vocales in actu Capituli, & tempore electionis quando sunt diffamati de aliquo crimine, pro quo pœna privationis, seu inhabilitatis est imposita à iure, iubetur in nostris Constitutionibus, quod expresè habetur in Constitutione huius Familiæ ex Segobiensibus, *cap. 7. de elect.* ibi: *Et ideò strictè præcipimus, vt nullus frater propter informationem summariam inter fratres factam tempore electionis, vel post prædictos duos menses, possit ab officijs Ordinis repelli, nisi esset notoria illius fratris infecta descendentia intra quartum gradum.* Sequitur evidenter quòd data diffamatione notoria instante electione potest repelli Vocalis à Capitulo.

95 Quod etiam procedit in terminis Statuti alterius Familiæ, & Decreti relati à Lantusca; nam in Decreto solùm prohibetur iniunctio sententiarum intra mensem, si sententiæ ante mensem sint prolatæ. Quod verba Decreti manifestè probant, ibi: *Privationis vocis actiuæ, & passiuæ, ac inhabilitatis decreta sententiavè ab eisdem Superioribus Ordinis lata, nè deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturvè, atque ex promulgata Vocales minimè afficiant, nisi per mensem antè fuerint intimata parti.*

96 Vbi notanda sunt verba, *sententiavè ab eisdem Superioribus Ordinis lata*, quæ indicant causam ante mensem fuisse conditam, sententiam-

tiamque fuisse ante mensem latam; & solùm prohibet istas sententias iam latas non intimatas, & occultò servatas ad Vocalem eijciendum, non promulgari, instante electione, quia malitiosa dilatio non debet nocere Vocali, nec favere Superiori. Vndè de motis, & agitatis, & sententiatis ante mensem loquitur Decretum, & Statutum, non de his quæ de novo emergunt, vel de novo pervenerunt ad notitiam Præsidis, & quando fama Vocalis nimis est gravata, & de delicto constat per semiplenam saltèm probationem; sic intelligunt Statutum, & Decretum gravissimi DD. alterius Familiæ, vt sunt Sanctorus *de pœnis, part. 2. fol. 162. cum seqq.* Lantusca *verb. Causa, seu lis, num. 5. vers. Ad hanc quæstionem dico, & num. 3. vers. Sed hic oriuntur.*

97 Ergo in casu nostro legitimè processum fuit contra Felicem Francès, & infrà contra R. P. Ferdinandum Lopez, instante electione, cùm non sit receptum Statutum, nec Decretum in hac Familia: causaque de novo emersit, hoc est, pervenit ad aures Rmi P. Commissarij Generalis, stanteque non solùm notorietate inhabilitatis ipso iure ad eligendum, & probatione plena ante electionem; Non enim est necesse quòd causa pendeat à facto novo emerso intra mensem; sed solùm requiritur quòd notitia intra mensem electionis, eiusque notorietas contingat, vt validè possit excludi Vocalis, posita diffamatione, & semiplena probatione. Statutum namque, *cap. 7. de electionib. ex Segoblensibus*, loquitur de infecta descendentia, quæ non potest contingere intra mensem; iam enim talis Religiosus contraxit infectionem à nativitate, imò pro se habebat statũ puritatis sanguinis, cùm in recep-tione probationes factæ fuissent, quo non obstãte, diffamatione puritatis sequuta intra duos menses, & probatione semiplena facta, potest eijci à Capitulo: ergo idem in alia qualibet inhabilitate, quæ sit à iure, si notitia, & diffamatio intra mensem electionis supervenit, iuncta semiplena probatione, potest eijci Vocalis à Capitulo, non obstante dicto Decreto, & Statuto alterius Familiæ. *Argument. cap. Accusatum 4. de simonia*, & ibi DD. infrà *in 4. dub.* citandi.

98 Comprobat assumptum Eminentissimus de Luca *de Regularib. discurs. 12. à num. 5.* vbi ad obiectum similis Statuti prohibentis exclusionem Vocalium, inquisitionumque processus imminente electione, respondet, ibi: *Dicebam, illud rectè procedere, quando eius ratio vrgeat, quia nempè id per Superiorem in fraudem affectari posset ex eodem motiuo, de quo suprà procedijt Decretum Concilij Tridentini creationis Abbatum, vel Priorum titularium; isto enim casu rectè Superiori ita inquirenti imputandum venit, cur id præcedenti tempore neglexerit.*

99 *Secùs autem, vbi hæc ratio cesset, quinimò fortiùs altera probabilis in contrarium vrgeat, quia nempè id proveniat ex notorio delicto rebellionis, ac inobedientiæ, vel recursus ad laycos, vel simili, quòd secum absque dubio trahit incursum censurarum, atque privationem vocis ipso iure, adeò vt Superior tunc ad reprimendum delictum, quod de novo ex improuiso patratum sit, procedat ad declarationem incursus censurarum, aliarumque pœnarum, cùm tunc vtraque affectationis, ac negligentiæ ratio cessare dicatur; & consequenter dicta propositio non est adaptabilis, quoniam aliàs esset dare ansam Vocalibus, vt infra terminum Comitijs proximum, quinimò in ipsomet loco Comitiorum, quæcumque gravia scandalosa delicta committere possent, atque Superiori obedientiam impunè denegare, quo nihil absurdiùs: ideòque id intelligendum venit ad limites rationis, cui istud assumptum innixum est.*

100 Comprobatur: quia Statuta, quæ sunt in viridi observantia in hac Familia Hispanica fuerunt copilata, & impressa Matriti anno 1621. & in Prologo edito à Rmis Ministro Generali, & Diffinitoribus Generalibus expressè descripta fuit causa copilationis, scilicèt: *Ipsa Barchinonensia Statuta Toleti, vt dictum est, reformata, diligenter examinauimus, singulorum originem, sivè primævam institutionem accuratè exquirentes, & ea quæ iam erant omninò abrogata adimentes, alia ex nostri Ordinis Statutis pro hac Cismontana Familia & confectis concinnavimus, & cæteris abolitis iuxta temporum, personarum, & qualitatem, &c.* Et infrà: *Nonnulla etiam quæ sunt noviter instituta, & insuper Decreta omnia Pontificia à Regularibus observanda, & in proprijs locis præscripsimus, eaque omnia ad compendium, & certam methodum redigi, ac ordinari, diligenter curavimus.*

101 Cùmque in prædicta copilatione Statutorum nihil de prohibitione inquirendi contra Vocales, instante electione, nullumque Statutum præscribens terminum, prohibensque extra illum inquiri contra Vocales, nec procedi ad sententiam suspensionis, vel privationis vocis, si diffamatio criminis, vel inhabilitatis ipso iure coniuncta sit cum semiplena probatione, nullaque mentio fiat de antedicto Oraculo vivæ vocis relato à Lantusca, & à Patre Ameno; certè dicendum est, Constitutionem Generalem alterius Familiæ, & dictum Oraculum non esse receptum in hac Familia, nec possunt allegari tanquam Statuta, & Decreta Apostolica. Cardin. de Luca *in conflictu legali, tom. vltim. obseruat. 23.* vbi quærit: vtrùm leges Civiles, & Canonicæ, quæ non reperiuntur registratæ in voluminibus Digestorum, Codicis, & Decretalium, possint allegari tanquam Leges, & Decreta Apostolica? Et resolvit, esse abolitas, & resecatas, & non habere vim legis ad causarum decisionem: Nam Eminentissimus de Luca asserit, Leges Civiles, & Canonicas copilatas fuisse, omittendo illas, quæ, vel erant resecatæ, vel per non vsum revocatæ, concludens his verbis:

102 *Manifestus itaque censendus est error in iudicio pro causis decidendis, istas legũ species in auctoritate necessaria attendere, duplici resistente ratione, quæ istum conuincit errorem; vna, nempè, Iustiniana, ac respectivè Gregoriana praciisè determi-*

minationis, vt alijs omnibus resecatis, ac neglectis legibus, quæ tunc circunferebantur, illis tantùm in posterùm deferri deberet, quæ in eo volumine registrata, ac respectiuè resecata habentur, ideòque manifesta est huiusmodi eruditorum, & antiquiorum irrationabilitas, aliquam etiam temeritatem habens admixtam, vt cum priuata auctoritate illas induxerint, vel ediderint leges, quas publica Pontificia, vel respectiuè Imperialis auctoritas pro neglectis, & resecatis haberi voluit.

103 Hacquè ratione in hac Familia Cismontana non obstante alterius Familiæ, & Oraculi, varia Statuta confecta sunt, quibus cavetur, Commissarium Generalem, aut Visitatorem non posse ante electionem, neque ea peracta aliquem voce activa, & passiva privare, nisi confecto processu, & præcedente Rei auditione in sui defensionem; vt pro Indis extat Statutum approbatum in forma specifica ab Vrbano VIII. *die* 20. *Nouemb.* 1625. *in Orb. Seraphic. tom.* 4. *pag.* 7. & pro Provincia Canariensi huius Familiæ extat aliud Statutum, ibi: *Statuitur, ne in Canaria priuentur Guardiani voce actiua ante electionem factam, nisi delictum sit aliàs publicum, & scandalosum.* Extat in dicto *tom.* 4. *Orb. Seraphic. pag.* 48. quod quidem nec fieri poterat à Capitulo Generali, resistente Decreto Pontificio, si Oraculum antedictum, esset acceptatum, & in viridi observantia in hac Familia.

104 Et dato, quòd præfatum Statutum alterius Familiæ, & Decretum, seu vivæ vocis Oraculum nos comprehenderet, & obligaret, debet intelligi de causis motis, & sententiatis ante mensem, non de illis, quæ de novo emergunt, etiã intra mensem, vel notitia, quæ instãte electione, ad aures Præsidis clarè defertur cum notorietate probationis, & delicti: nam in his terminis verba Statuti, & Decreti intelligenda sunt, prout expresse ea intelligunt DD. alrius Familiæ.

105 Sanctorus *de pœn. cap.* 15. *pag.* 160. *vers. Scio discussum*, ibi: *Etiamsi Statutum assignet terminum, intra quem causæ examinari debeant, non propterea prohibet procedi in causa, quæ de novo emergeret: quia dispositio tangit casus iam emersos ante citationem Capituli, non de ijs, qui post illam emergerent: si enim rigorosè tenendum esset Statutum, non benè provisum esset casibus incidentibus.* Et in verf. *Respondeo*, prosequitur Sanctorus, ibi: *Statutum loquitur de causis iam cognitis, motis, & actitatis; vel quæ in visitatione moveri possunt; non autem de ignoratis. & ex accidenti inopinato emergentibus.*

106 Et in verf. *Scio etiam discussum* repetit eamdem doctrinam de casibus, qui post Capitulum citatum emergunt, vel ad notitiam Præsidis perveniunt; dummodò de industria, & fraude inquisitio non fuerit dilatata in illud tempus, ibi: *Tertiò quoad hanc inquisitionem deveniri potest, etiam citato Capitulo, dummodò de industria, & fraude non fuerit dilatata inquisitio ad illas temporis angustias* Et in eodem verf. hanc esse practicam Religionis affirmat, ibi: *Nec novum est hoc in Religione; quia multæ causæ Vocalium in ipso Capitulo ante electionem discutiuntur, & si culpabiles reperti fuerint, eijciuntur.*

107 Concluditque Sanctorus, locum habere prædicta, tàm in voto activo, quàm in passivo. Vndè instante electione, si causa de novo emerserit contra Vocalem, & non fuerit inquisitio ex fraude dilatata, potest deveniri ad inquisitionem, etiam citato Capitulo, & excludi Vocalis, si fama illius nimis gravetur per accusationem, & per semiplenam saltem probationem cum diffamatione coniunctam; sic enim habet *dict. cap.* 15. *pag.* 165. *vers. Ad secundam quæstionem*, ibi: *Dico, infamatum per accusationem, vt dictum est, esse incapacem suffragij, tàm activi, quàm passiui.*

108 Lantusca *verb. Causa, seu lis, num.* 3. loquendo de prædicto Decreto, seu Oraculo, ibi: „ Sed hìc oriuntur duæ difficultates. Prima, an si citato Capitulo, occurrat casus, quo alicuius Vocalis fama gravetur, & non sit tempus sufficiens ad discutiendam accusationem, & iuris ordine terminandam, an excludi debeat, vel admitti sub aliqua protestatione? Resp. *Etiamsi Statutum assignet terminum, intra quem causæ examinari debeant, non propterea prohibet, sicut nec Decretum Apostolicum, procedi in causa, quæ de nouo emergeret, quia dispositio tangit casus iam emersos ante citationem Capituli, non de ijs, qui post illam emergerent; si enim rigorosè tenendum esset Statutum, non benè prouisum esset casibus incidentibus, Potest enim accidere, vt in dicto Capitulo aliquis Vocalium graue delictum committeret, vulnerationis, homicidij, sacrilegij, &c. & nulli dubium est, contra talem procedi posse, & debere, siue per infamiam, siue per clamorosam insinuationem, siue per accusationem, si delictum ad Superioris aures perueniat, & quidem si agatur de electione passiua, ista est recensita doctrina, ad Capitulum, Pendente causa, ius non habet: Igitur cùm Statutum loquatur de causis iam cognitis, motis, & actitatis, vel quæ in visitatione moueri poterant, nulli dubium est, posse Vocalem suspendi, & à Capitulo excludi, quando illius fama nimis grauaretur per accusationem, & per semiplenam probationem cum diffamatione coniunctam.*

„ 109 Secunda difficultas est. An hoc sit dicendum tàm de voto activo, quàm passivo, quia non statim infertur: Accusatus non potest eligi in Superiorem: ergo neque poterit dare suffragium. Nam habere votum activum non est dignitas, aut honor, quia aliquando etiam laici, qui sunt Ecclesiasticæ dignitatis incapaces, & Discreti suffragium tulerunt: quod est quærere: An Vocalis accusatus, ex eo solùm, quòd est accusatus, debeat à Capitulo eijci?

„ 110 Ad hanc quæstionem dico, infamatum per accusationem esse incapacem suffragij tàm activi, quàm passivi, tùm quia omnes qui sunt in Capitulo, capaces sunt, tàm passivæ, quàm activæ electionis, ex ratio-

„ tione, qua Vocales sunt, & sic patet exclu- „ sum ab vno, exclusum esse etiam ab alio. „ Tùm etiam ex ratione generali, quod om- „ nes illi ab electione excluduntur, qui sunt „ privati, vel privandi potestate eligendi, quia „ licèt ante electionem non sit discussum, suf- „ ficit posse convinci post electionem.

111 Nec obstat dicere, quòd Rmus P. Commissarius Generalis habuit hanc notitiam in Capitulo Provinciali proximè transacto in Conventu Alonæ celebrato, in quo in Diffinitorem fuit electus dictus Pater Francès, qua notitia non obstante, illius electionem confirmavit, vt patet ex actis Capitularibus eiusdem Capituli.

112 Nam respondetur, verum esse, Rmum Commissarium Generalem habuisse aliqualem notitiam, quod Pater Francès pœnitentiatus fuerat in Sancto Tribunali; propter quam confirmationem illius, & aliorum Diffinitorum distulit in diem sequentem, vt de facto informaretur. Quod cùm fecisset, certificatum fuit illi per R. Patrem Ioannem Baptista Todo, Ministrum Provincialem, & Sancti Officij Qualificatorem, & per R. Patrem Ferdinandum Lopez, Patrem Provinciæ antiquiorem, & Sancti Officij Qualificatorem, esse certum, quòd interrogati Domini Inquisitores super pœnitentijs dicto P. Francès in Sancto Tribunali impositis, responsum dederunt dicti Domini Inquisitores, dictas pœnitentias fuisse merè salutares, quod testimonium originale est apud Rmum P. Commissarium Generalem.

113 Credidit sua Paternitas Rma, & confirmavit Diffinitorum electiones. Cùm autem Valentiæ esset pro celebranda Congregatione, pervenit ad aures illius non solùm quòd P. Francès fuit in Sancto Officio sententiatus, sed etiam pœnæ in individuo, & in modo, quo impositæ fuerunt; & deveniendo ad inquisitionem, comperit, dictas pœnas non fuisse salutares; sed graves, & per sententiam inflictas, quod confessus fuit iudicialiter Felix Francès. Igitur hic casus debet dici de novo emergens; quia quamvis illius aliqua notitia habita fuerit in Capitulo Provinciali, non tamen fuit perfecta, & individua, ob quam rationem assentiri potuit certificationi factæ à gravibus Religiosis, maximè cùm pertineret ad Officium Sanctæ Inquisitionis.

114 Deindè, quia Statutum loquitur de Capitulo Provinciali, & non debet extendi ad Congregationem intermediam. Tùm, quia in pœnalibus non fit extensio, adhuc data paritate rationis, *cap. Pœna, de pœnitentis; l. interpretatio; l. Præses. ff. de pœnis.* Bichius *decis.* 257. *n.* 8. Sperellus *decis.* 175. *num.* 9. Tùm, quia dispar est ratio in Capitulis Provincialibus, in quibus functiones electionum, saltèm principalium, vnico die complentur. *Clement. Exiui, §. Caterùm, de verb. significat.* Tùm, quia Statutum solùm disponit, quòd nullus Prælatus possit in Capitulo privare Vocalem, ibi: *Qui omnes nullum Vocalem in Capitulo priuare possint.* Inquisitio autem facta à Rmo P. Commissario Generali in dicta Congregatione non erat ad privandum inquisitos, sed ad declarandum illos privatos iam à iure, qui casus non comprehenditur, vt distinctus in dispositione Statuti. Deindè, quia Constitutio alterius Familiæ tantùm loquitur de Commissarijs Visitatoribus, & non se extendit ad Rmos Ministros, & Commissarios Generales speciali nota dignos.

115 Minùs obstat illa regula Practicæ nostræ criminalis, scilicèt: *Contra eligendum in ipso electionis die exceptio admitti non debet, nisi tam in promptu esset probatio, ut breuissimo tempore expediri posset exceptio. Criminalis verò, nullo modo audienda, sed suis dilationibus agitari debet, vt exceptor probare, & reus se tueri valeat.*

116 Primò, quia ibi loquitur de exceptione cōtra eligendum, non verò contra electorem; nec est eadem ratio, quia licèt eligatur indignus, vel inhabilis, potest, non obstante electione, excipi contra illum, ne confirmetur; & Superior tenetur sumere informationes super meritis, vel demeritis electi, *cap. Postquam* 3. *de elect. & cap. Venerabilem* 34. *vers. Est enim generaliter, & cap. Nihil* 44. *de elect.* vbi Glos. *in verb. Examinet.* Segism. *de elect. dub.* 44. *num.* 7. Barbos. *de iure Ecclesiastic. lib.* 1. *cap.* 19 *num.* 252. Donatus *in praxi, part.* 3. *tract.* 7. *quæst.* 1. Peyrinus *in formular tit. C. cap.* 18 *num.* 15. quo modo nullum præiudicium advenit electioni, nec electis: quia omnia ante confirmationem reparari possunt.

117 Quod non potest evenire in exceptione contra eligentem; quia si iste est excommunicatus, vel ipso iure privatus à voce activa, & contra illum excipitur, & exceptio non admittitur, & discutitur, an sit admittendus, vel non; præiudicatur electioni, quæ erit nulla, casu quo Elector exceptus esset excommunicatus, vel ipso iure voce activa privatus: *argum. cap. Ad probandum, de re iudicata*; & communiter DD. teste Panormit. *cap. In causis, in fine*; quod sine dubio procedit, quando exceptio ponitur ante electionem. Segismund. *dub.* 66. *à num.* 11.

118 Secundò, quia illa regula Practicæ Criminalis loquitur de exceptione, quæ ponitur ipso die electionis, & de hac, licèt sit civilis, disponit, quòd non admittatur, *nisi esset tam in promptu probatio, ut breuissimo tempore expediri posset exceptio.* Ideòque supponit exceptionem positam ipso die in quo facienda est electio, non in quo facienda erat, & iusta causa celebrata non fuit: quia si electio in alium diem transferatur, tunc non habet locum hæc regula Practicæ Criminalis, nec doctrina Ameni *tit.* 12. §. 3. *num.* 11. asserentis, illud brevissimum tempus intelligendum esse, decimam partem diei electionis.

119 Cumque in nostra Congregatione electiones iusta ex causa fuerint suspensæ, & in aliud tempus translatæ, quovsque finiretur lis mota super iure eligendi R. Patris Rodriguez, potuit, & debuit Rmus inquirere, & ex officio ex-

excipere contra Patres Francès, & Lopez, non obstante axiomate nostræ Practicæ Criminalis, cùm non fuisset suspensa electio.

120 Vltimò, quia istæ non fuerunt exceptiones Criminales, sed Civiles, cùm solùm ordinarentur ad bonum electionis consequendum, nè irritæ, & nullæ evaderent ex admissione inhabilium electorum. Sanctor. *dict. cap.* 15. *pag.* 161. *vers. Scie etiam discussum*, in medio, ibi: *In exceptione ciuili ordinata solùm ad legitimam electionem.* Amenus *in pract. crimin. tit.* 12. §. 3. *num.* 6. Consequenterquè illis diebus aptis, in quibus ex causa non celebrata fuit Congregatio, potuit Rmus P. Commissarius Generalis inquirere, an Pater Francès fuerit sententiatus in Sancto Officio; & forrè debuit, quia infamatus erat: quo casu non poterat dissimulare sine offensione iustitiæ, Communitatis, & futuræ electionis: tunc enim, vt ait Sanctorus, *de pœnis, cap.* 15. *pag.* 164. *vers. Respondeo*: tenetur inquirere, & procedere. Consonat Clarus *quæst.* 4. *num.* 2.

121 Nec obstat dicere, dictos Patres Francès, & Lopez potuisse admitti ad electiones cum protestatione: *Si, & in quantum*; id est, *casu quo non haberent ius, electio non annullaretur propter præsentiam illorum.* Vndè non noceret electioni, quòd non habentes vocem fuerunt admissi cum alijs. Panormitan. *in cap. Cumana*, Sylvest. *verb. Electio, num.* 17.

122 Nam respondetur, dicta procedere quando qui accusatur non est infamatus, quia si est infamatus, non potest vllo modo ad electionem admitti, tanquam non integer, vt resolvit Sanctorus *dict. cap.* 15. *pag.* 165. *vers. Ad secundam quæstionem*; *& pag.* 164. *vers. Respondeo*, *in fin.* quæ doctrina procedit in nostro casu, quia eo ipso quòd fuit inquisitum contra Patrem Francès, supponitur, ipsum esse infamiæ notatum, vt habetur ex traditis ab Ameno *in Pract. Crimin. tit.* 11. *inquisitio*, §. 1. *num.* 2. ibi: *Inquisitio specialis instituitur à Prælato, vt Iudice, excitato à fama*: & R. P. Lopez etiam erat diffamatus, eo quòd ipse esset promovens Patrem Francès ad officia, quæ habuit.

DUBIUM TERTIUM.

An iustè declaratum fuerit, Patrem Fr. Felicem Francès incidisse in pœnas contentas in Decreto Vrbani VIII.

123 Constat ex facto, num. 6. quòd suspensa Congregatione intermedia ratione litis motæ à parte reclamante super ius ingrediendi Diffinitorium, cuius iustam possessionem habebat R. P. Rodriguez, inter moras venit ad notitiam Rmi Patris Commissarij Generalis, quòd Pater Francès, vnus ex Diffinitoribus, erat iudicialiter sententiatus à Sancto Inquisitionis Officio antequam ad Guardianatus, & Diffinitoriatum eveheretur; & in specie notæ fuerunt Rmo P. pœnæ in dicto Tribunali prædicto Patri Francès inflictæ, & cum iam in Capitulo Provinciali hæc eadem notitia (licèt confusa, & indistincta) pervenisset ad aures Rmi Patris, & capta aliqua informatione, illi certificatum fuerit à R. P. Provinciali, & Patre Ferdinando Lopez, dictas pœnitentias fuisse tantùm salutares; & quia ex notitia habita in Congregatione, individua, & distincta, apparebat illa certificatio dictorum Patrum falsa: necesse iudicavit recipiendam esse informationem iuridicam ad hauriendam veritatem.

124 Testes recepit, ex quorum depositionibus plenè constitit, dictum Patrem Francès fuisse carceratum in Sancto Officio per dimidium annum, iudicialiter processatum, & iuridicè, & in forma Tribunalis condemnatum in pœnam exilij à Civitate Valentina, à Villa Castellionis de la Plana, & à Villa Matriti; condemnatum ad retractandum se de quibusdam propositionibus in dicta Villa Castellionis publicè ex suggestu; condemnatum ad privationem prædicationum, & ad reclusionem in Conventu Civitatis de Requena. Confessionem ipsius Rei accepit, qui medio iuramento confessus fuit, se iudicialiter fuisse condemnatum in prædictas pœnas. Vndè præcedente citatione ad videndum se declarari, pro notorio, sententiatum, & pœnitentiarum in Sancto Officio, & de consequenti incursum in penas Decreti Vrban. VIII. die 1. Octobris 1626. provt sequitur:

125 *In Generali Congregatione S. R. & Vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Vrbano Divina Providencia Papa VIII. & Illustrissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in vniversa Republica aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis: S. D. N. iustis de causis animum suum mouentibus, decreuit, & statuit, vt in posterum Regulares omnes cuiusuis Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnitentijs exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & Officia inhabiles censeantur; & deinceps (etiamsi pœnitentiæ tempus expleuerint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoueri nullatenus possint, nisi prius obtenta à SS. D. N. vel ab hac S. Congregatione coram Sanctitate sua habenda, speciali, & expressa rehabilitationis gratia. Aliàs promotio qualibet nulla sit, & promouentes ipsi priuationem suorum Officiorum, ac prætereà vo-*

tis activa, & passiva ipso facto incurrant: ad quæ restitui, nisi ab eodem SS. D. N. vel ab eadem S. Congregatione coram Sanctitate sua habenda, non possint. Præsens autem Decretum omnibus Religiosorum Superioribus intimari mandavit idem SS. Dominus noster.

126 Iuxta tenorem huius Decreti, & Rei confessionem Rmus P. Commissarius Generalis pronunciavit, declaravit, & sententiavit, esse notorium, dictum P. Fr. Fœlicem Francès fuisse publicè, & iuridicè sententiatum in Sancto Tribunali, & ex consequenti inhabilem, & ineligibilem ad omnia officia Ordinis: sicque electionem ipsius in Diffinitorem fuisse irritam, & nullam, dictùmque Reum notoriè intrusum in dicto Diffinitoriatus officio. Sic pronuntiavit die 20. mensis Aprilis anni 1698.

127 Sed antequam Rmus Pater ad inquisitionem deveniret, & iterum ante prolationem sententiæ consilium à D. Inquisitore Maiori Valentino postulavit, utrùm liceret inquirere de inhabilitate Religiosorum pœnitentiatorum à Sancto Officio Inquisitionis in pœnitentias graves, & procedere authoritate sua ordinaria ad declarationem, virtute Decreti Vrbani VIII. vel an hoc spectaret ad Tribunal S. Officij? Et responsum præbuit, Sanctum Officium non se ingerere in declaratione inhabilitatis, sed solùm in iudicando de delictis commissis pertinentibus ad Sanctum Officium; Prælatos autem Regulares esse Iudices competentes ad declarandam inhabilitatem, prout constat authenticè ex litteris dicti D. Inquisitoris.

128 Adhibuit etiam Consultores ad sententiam, R.P. Ioannem Baptistam Todó, Ministrũ Provincialem Provinciæ Valentiæ, & alios duos Patres graves eiusdem Provinciæ: adhibuit etiam consilium duorum utriusque iuris Doctorum, qui omnes, nemine discrepante, audito casu, in voto fuerunt, deberi declarari dictum Reum, ut notoriè sententiatum in Sancto Tribunalis Officio, & per consequens inhabilem ad omnia officia Ordinis, & quòd non poterat sua Rma Paternitas absque notabili culpa illi permittere in dicta Diffinitione continuationem post processum formatum, & notitiam individuam pœnitentiarum, Quod omne constat ex processu iuridico formato à die 18. mensis Aprilis anni 1698. usque ad diem 20. eiusdem mensis, & anni.

RESOLUTIO DUBIJ.

129 EX hoc facto syncerè, & verè narrato resolvitur Dubium, dicendo, dictum Patrem Francès iustè fuisse declaratum incidisse in pœnas contentas in Decreto Vrbani VIII. de quo num. 125. quia pœnitentiæ illi impositæ non possunt dici salutares, quæ excipiuntur in Decreto; sed debent dici pœnitentiæ punitivæ, & vindicativæ, quæ in Decreto comprehenduntur, & inhabilitant pœnitentiatos.

130 Ad cuius intelligentiam supponenda est distinctio independenter adhuc ab hoc Decreto inter pœnitentias punitivas, & pœnitentias salutares. Pœnæ autem, vel pœnitentiæ punitivæ sunt impositæ ad rigorem legis per sententiam latæ, & in publico executioni demandatæ; propter quod tales pœnitentiæ pœnitentiatum infamant. Amenus *tit. 4. §. 3. num. 6. in fin.* Pœnitentiæ autem salutares ex eodem Ameno *dicto tit. 4. num. 7.* sunt institutæ ad parcam delinquentis emendationem, non sunt iniunctæ ad rigorem legis pœnalis; non feruntur à Superiore, ut Iudice; non in foro contentioso per sententiam, sed adhortatione quieta per mandatum.

131 Ex qua doctrina colligitur, quid nomine pœnitentiatum salutarium intelligendum veniat in Decreto Vrbani VIII. quia pœnitentiæ salutares in ipso Decreto exceptuatæ, ibi: *Salutaribus pœnitentijs exceptis*, intelliguntur illæ quæ solum extraiudicialiter infliguntur, & privatim complentur: ut sunt ieiunia, disciplinæ, recitationes Psalmorum, reprehensiones, admonitiones, ac etiam correctiones, quæ etiam Paternè, & secretò fieri solent aliquibus in Sancto Tribunali.

132 Hæc est communissima sententia Canonistarum, & Theologorum. Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 1. disp. 5. quæst. 21. num. 30.* Donat. *in Praxi, tom. 1. part. 1. tract. 5. quæst. 22.* Lupus *punct. 1. lib. 1. artic. 2. & 12.* Murga *in comment. ad Constitut. 6. & 1. Alexandri IV. sub sect. 6.* Peyrinis *tom. 2. ad Constit. 9. Pauli V. num. 30.* Passerin. *de elect. cap. 25. num. 99.* Iulius Caponi *dissert. 95. à num. 42.* Victis *in praxi, tract. 10. quæst. 127. num 35.* Carena *part. 3. tit. 12.* Pelliciarius *tom 2. tract. 99. cap. 2. num 154.* Frimachius *tract. de sollicitat. disp. 16.* Hieronymus Rodriguez *resolut. 73. n. 10.*

133 Thomas Hurtado *tom. 2. resolut. Moral. circa congruam sust. Ecclesiast. in Appendice prima, pag. 294. num. 875.* ibi: *Per pœnitentias salutares intelligunt præfati illas, quæ solùm extraiudicialiter infliguntur, & privatim, & in secreto complentur, ut ieiunia, disciplinæ, recitationes Psalmorũ, & similia.*

134 Lezana *tom. 1. cap. 25. num. 39.* ibi: *Pœnitentiæ salutares dicuntur illæ, quæ extraiudicialiter, & privatim infliguntur; ut sunt ieiunia; disciplinæ, orationes, &c. Idem credo de aliquibus reprehensionibus, admonitionibus; seu etiam correctionibus, quæ dari solent aliquibus in hoc Sancto Tribunali.*

135 Sanctorus *de pœnis, cap. 21. §. Dico 3. vers. Respondeo*, ibi: *Salutares esse, quæ extraiudicialiter imponuntur, & in secreto perficiuntur; ut sunt ieiunia, orationes, disciplinæ.*

136 Illæ verò pœnitentiæ, quæ infliguntur per sententiam, & publicè complentur, non veniunt nomine pœnitentiarum salutarium; secundùm Auctores citatos, & expressè de suspensione, vel privatione prædicandi ad Populum. Dictus Thomas Hurtado *tom. 2. resolut. moral. circa congruam sustent. Ecclesiast. in Appendice 1. pag. 294. num. 875.* ubi postquàm narravit pœni-

nitentias salutares, de non salutaribus hæc habet verba:

137 *Quòdsi pœnitentiæ publicè sint adimplendæ, etiamsi sint disciplinæ, & recitationes Psalmorum, non pœnitentiæ salutares; vt si auditio Missæ cum candela accensa imponatur, priuatio prædicandi ad populum, & audiendi confessiones; istæ enim, & similes dum imponuntur, non salutares dumtaxat, sed iuridicæ sunt.*

138 Sanctorus *dict. cap. 22. §. Dico 3. vers. Respondeo*; loquẽdo de pœnitentijs non salutaribus, asserit, esse illas, quæ iudicialiter imponuntur, & inter illas numerat remotionem ab aliquo loco, & præceptum de non recedendo; quæ omnia pœnitentiatum infamant, cùm sint pœnitentiæ publicè adimplendæ, ibi: *Pœnitentias autem, quæ imponuntur iudicialiter, tanquam pœnæ delictis impositæ; vt suspensio à confessionibus, priuatio suffragiorum, vel officiorum, remotio ab aliquo loco, præceptum de non recedendo, carcer, publica ieiunia, & quæ in aliorum notitiam veniunt, & hæ infamant, tanquam pœnitentiæ publicæ. Ex cap. Infam. 3. quæst. 7.* Thomàs Hurtado *suprà, num. 788.*

139 Inter pœnitentias enim punitivas, quæ comprehenduntur in Decreto Vrba. VIII. & inter pœnitentias salutares, quæ à dicto Decreto excipiuntur, nulla alia excogitari potest differentia, nisi quòd punitivæ imponuntur iudicialiter, salutares verò imponuntur extra iudicium; qualitas enim pœnitentiæ attendi debet, non quantitas illius.

140 Optimè Sanctorus *de pœnis, dict. cap. 22. vbi versic. Si dicas, pag. 30.* quærit: *Dato quòd pœnitentia imposita iudicialiter per Sanctum Officium sit minor pœnitentia salutari, v.g. imposuit Sanctũ Officium recitationem septem Psalmorum per sex menses, tanquam pœnitentiam salutarem; imposuitque aliam minorem per duos menses, iudicialiter: an tenendus est cum isto rigor Decreti; quia cum sit minor, supponit minorem culpam, & non debet habere easdem consequentias?*

141 Ad quam difficultatem enodandam, recurrit ad qualitatem pœnæ, nempè si est imposita per sententiam, vel non, nullo habito respectu ad quantitatem pœnitentiæ; ibi: *Attendenda est formalitas, an scilicèt sit imposita iudicialiter, aut extra iudicium? Nec nobis relinquitur optio iudicandi de qualitate pœnitentiæ; sed obedire debemus, quidquid sit de quantitate illius.*

142 Cùm autem non solùm ex testium depositionibus, sed ex confessione ipsius Patris Francès certò constaret, ipsum fuisse per sententiam pœnitentiatum; non solùm ad se retractandum in publico de quibusdam propositionibus, postquam per sex menses fuerit incarceratus; sed etiam pœnitentiatum in exilium à Villa Castellionis, Matriti, & Civitate Valentiæ, sed & reclusum in Conventu de Requena, & à Prædicationibus suspensum; nulli dubium esse potest, prædictas pœnitentias, vtporè publicas, & per sententiam inflictas, non posse esse salutares; sed necessariò debent reputari pro pœnitentijs punitivis, & vindicativis, quæ proculdubio comprehenduntur in Decreto Vrbani VIII. propter quas inhabilitantur pœnitentiati ad omnia Officia Ordinis; *etiamsi pœnitentias compleuerint.*

143 Contra dicta adducitur Bordonus *tom. 1. de Sacro Tribunali, cap. 27. num. 44.* asserens, quòd qui non abiuravit *de leui*, vel fuit pœnitentiatus ob aliam causam quàm ob hæresim; non comprehenditur sub Vrbani Decreto. Et infrà num. 43. ibi: *Sub nomine pœnitentiarum salutarium venire; quæ ab Inquisitoribus imponuntur in foro animæ, sine strepitu iudiciali, & processu; vt quando quis sponte comparet. Item, quando processatus non abiurauit de vehementi, vel de leui.*

144 Rationem huius adducit Bordonus *num. 41.* dicens: *Quod qui ex alio capite, quàm ob hæresim, vel eius suspitionem pœnitentiatus fuit in Sancto Officio, cùm non abiurauerit, non fuit multum grauata illius opinio, ex quo debebat censeri inhabilis. Quare punitus ob blasphemiam non hæreticalem, vel quia omisit denunciare, &c. non afficitur hoc Decreto.*

145 Sed hæc doctrina Bordoni nullo modo admittenda est, in eaque multa involuit. Primò, videtur asserere, quòd Decret. Vrbani VIII. non comprehendit pœnitentiatos in Sancto Officio, nisi abiuraverint saltim *de leui*; quod est contra communem DD. intelligentiam. Murga *ad Constitut. 6. & 2. Alexandri IV. sub sect. 6. num. 862.* asserit, ibi: *Ineligibiles sunt in Prælatos Religionum, qui in Sancto Inquisitionis Officio abiurauerunt tàm de leui, quàm de graui; atque qui in illo Tribunali quodcumque genus pœnæ, vel pœnitentiæ (exceptis salutaribus) fuerint experti.*

146 Vbi distinctionem facit inter abiurantes, & pœnitentiatos, & de his affirmat, etiam esse inhabiles ad omnia Officia Ordinis. Pro qua sententia citat D. Didacum Francès de Vrrutigoyti *in Pastorali interno, tract. 4. quæst. 5. num. 2.* Carena *de Offic. S. Inquisit. p. 3. tit. 12. de abiuratione, num. 14.* Tonduto *in quæst. Canonic. & Ciuilib. lib. 1. cap. 44. num. 7.* Alberchin. *in Manuali Qualificat. S. Inquis. tit. de pœnis hæreticor. cap. 6. num. 26.* Tamburin. *de iure Abbatum, tom. 1. disp. 5. quæst. 21. num. 67.* Peyrin. *de Priuileg. Regular. tom. 1. ad Constit. 9. & vltimam Pauli V.* Et concludit Murga, quòd hæc secunda pars suæ resolutionis probatur ex ipso Decreto Vrbani VIII.

147 Diana coordinatus *tract. 9. resolut. 93. num. 2.* expressè tenet hanc sententiam, ibi: *Stante Decreto Vrbani VIII. edito anno 1626. in quo Regulares puniti per Sanctum Officium (pœnitentijs salutaribus exceptis) eo ipso fiunt inhabiles ad gradus, & Officia Religionis.*

148 Sanctorus *de pœnis, cap. 22. pag. 300. vers. Si replices,* quærit: Quare, cùm Decretum Vrbani VIII. solùm afficiat pœnitentiatos, Statutum Religionis aggravat abiurantes, etiamsi pœnitentiati non sint? ibi: *Decretum Sancti Officij punit solos pœnitentiatos.* Ex quibus Doctoribus clarè infertur, quòd pœnitentiati

in

in Sancto Officio iuridicè, etiamsi non abiuraverint de levi, aut gravi, comprehenduntur in Decreto Vrbani VIII.

149 Quod suadetur; quia abiuratio *de levi*, aut *vehementi* non inhabilitat Regulares ad Officia Ordinis; quia abiuratio est, sed quia imponitur per sententiam; si enim per sententiam non imponeretur, adhuc quòd abiurarent de levi, vel de vehementi, vt de hæresi suspecti, essent habiles ad Officia Ordinis; quia tunc tales sic abiurantes non censentur pœnitentiati in Sancto Officio, & per consequens, nec comprehensi in Decreto Vrbani VIII.

150 Expresè Passerin. *de elect. cap. 25. vbi num.* 101. docet: *Eum qui de levi abiurauit in Sancto Officio esse eligibilem; quia abiuratio ipsa nedùm de vehementi, sed de levi, est pœnitentia gravis, & non tantùm salutaris, sed iudicialis; quæ in iudicio per sententiam imponitur: & ideo qui ad abiurandum damnatus est, etiam de levi, est pœnitentiatus iudicialiter in Sancto Officio, & proterea est ineligibilis.*

151 Et num. 102. limitando hanc doctrinam, continuat, ibi: *Limitatur tamen hoc in sponte comparentibus, non hæreticis, sed de hæresi suspectis, qui sic abiurantes, etiam de vehementi, non censentur pœnitentiati.* Et infrà in fine eiusdem num. 102. *Ideo talibus non inducitur abiuratio, vt pœna, sed vt protestatio Catholicæ intentionis adhibetur. Itaque isti non sunt pœnitentiati in foro Sanctæ Inquisitionis, & ideo non sunt ineligibiles.*

152 Si ergo abiuratio quæ secundùm substantiam non est pœna, vt docet Passerin. *dict. cap. 25. num* 100. si infligitur per sententiam, est pœna, & quidem gravis. Penna 3. *p. Commentar. 41. vers. Verùmtamen Roma.* Cantera *de hæreticis, cap. 1. num. 56.* Sousa *in aphorism. lib. 2. cap. 4. num. 7.* Carena *p. 3. tit. 12. §. 4. num.* 411. Donat. *p. 3. tract. 5. quæst. 23.* Salelles *lib. 5. cap. 2. num. 22.* Quomodo aliæ pœnitentiæ, quæ secundùm substantiam sunt pœnæ vindicativæ, aut punitivæ erunt salutares, si imponuntur per sententiam in Officio Sanctæ Inquisitionis?

153 Asserit quoque Bordonus, *quòd pœnitentiatus in Sancto Officio, si non abiurauerit, non fuit multum grauata illius opinio, ex quo debebat censeri inhabilis.* Quod non rectè asseritur, quia abiuratio de levi, vel de vehementi secundum substantiam, non solùm non infamat, sed purgat infamiam. Casus expressus *in cap. Inter solicitudines, de purgat. Canonic. in fin. cap. Accusatus, de hæreticis in* 6. & clarissimè *in cap. Ad abolendam, §. Qui verò, dict. tit. de hæreticis in* 6. Sanctorus *de pœnis, dict. cap. 22. pag. 299. vers. Dico* 4. Ricciolus *de iure personar extra gremium Ecclef. existentium, lib. 5. cap. 19. num. 25.* Rota apud Farinat. *inter criminales, decis. 51. num. 6.* Tonduto *in quæst. Canonic cap. 44. num. 8.* ibi: *Per abiurationem purgatur infamia.*

154 Igitur infamat abiuratio, non quia abiuratio, sed quia imponitur per sententiam. Ex quo quæcumque alia pœna, quæ per sententiam imponatur in Sancto Officio pro delictis ad ipsum privativè pertinentibus; infamabit pœnitentiatum, & per consequens reddet illum; si est per sententiam, inhabilem ad Officia Ordinis: quia eo quod sint pœnitentiæ impositæ per sententiam in Sancto Officio, infamatur pœnitentiatus, tanquam condemnatus ad pœnitentias publicas: tales enim dicuntur quæ infliguntur per sententiam, vt manet dictum *num. 137. & 138.*

155 Consonat Diana coordinatus, *tract. 10. resolut. 83. num. 3.* vbi ad incurrendam Regulares inhabilitatem ad Officia Ordinis juxta Decretum Vrban. VIII. solùm petit, fuisse pœnitentiatos quacumque pœnitentia, quæ non sit salutaris, ibi: *Extat Decretum Sacræ Congregationis Sancti Officij, annuente Vrban. VIII Pontifice; vbi Regulares redduntur inhabiles ad officia; & dignitates propter quamcumque pœnitentiam, nisi sit salutaris.*

156 Ex doctrina Bordoni etiam infertur, quòd illa clausula Decreti *Pœnitentiæ genus aliquod* restringi debet ad solam abiurationem, quod est expresè contra ipsum Decretum. Qui enim dicit *pœnitentiæ genus aliquod*, comprehendit omnem speciem, vel omne genus pœnitentiarum, salutaribus exceptis; dictio enim *aliquod* apposita generi, importat vniversalitatem, & comprehendit omne genus. Glos. final *in cap. Si propter, de rescriptis in* 6. Surdus *consil. 33. num. 20.* Menoch. *consil. 609. num.* 18. comprehenditque ita omnes pœnitentias, vt nullam excipiat. Fusarius *consil. 145. num. 26.*

157 Ex natura enim sua illa dictio *aliquod* est distributiva, & supponit diversitatem, Glos. *verb. In certa*, post medium *in Clement. 1. §. Ad hoc, de Præb.* Cenedus *singular. 5. num. 7.* & licèt sit distributiva singularum pœnitentiarum, omnes tamen comprehenduntur insolidum, ita vt si salutares pœnitentiæ non exciperentur expresè in ipso Decreto, comprehenderentur etiam sub illa clausula, *Pœnitentiæ genus aliquod. Ex l. qui filiabus, §. 1. ff. de legat. 1.* Tuscus *tom. 2. litt. D. conclus. 269. num. 1.*

158 Si ergo solùm abiurantes de levi, aut vehementi comprehenderentur in supradicto Decreto, hæ solæ abiurationes essent pœnitentiæ non salutares, quod quidem est alienum à mente, & verbis ipsius Decreti, cùm expresè dicat, *Pœnitentiæ genus aliquod*, quod non verificatur in solis abiurationibus. Deindè, quia vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus.

159 Quòd confirmatur, quia secundùm Freitas, *de Confessorib. solicit. num. 70.* Peyrin. *tom. 2. cap. 5. quæst. 2. §. 7. num. 92.* Caponi *tom. 2. discept. 95. num. 47.* per solam abiurationem de levi independenter ab alijs pœnis non incurritur inhabilitas imposita in Decreto: ergo signum est, quòd illa clausula Decreti, *Pœnitentia genus aliquod*, comprehendit alias pœnitentias ab abiuratione distinctas.

160 Deindè, quia si sistamus in iure communi, per abiurationem simpliciter sumptam sine impositione pœnitentiæ, non inducitur inha-

habilitas. Rodriguez *tom.2. quæst.28. art.2.* Navarr. *lib.5.conf.5.de hæretic.* Sanctor. *de pœnis, cap.22.pag.299. verf.Dico 4.* ibi: *Abiuratio simpliciter sumpta sine impositione pœnitentiæ non inducit irregularitatem, aut pœnas supradictas, si in iure communi sistamus.*

161 Nunc licèt inferre: igitur abiuratio simpliciter sumpta cum impositione pœnitentiæ inducit irregularitatem, aut supradictas pœnas Decreti, adhuc stando in iure communi. Consequentia est certa, quia pœnæ impositæ per sententiam in Sancto Tribunali, eo ipso quòd sint publicæ, infamant pœnitentiatum: ergo verba Decreti, *Pœnitentiæ genus aliquod,* intelligi debent de alijs pœnitentijs inflictis per sententiā, & ab abiuratione distinctis. Et si sola abiuratio sufficit ad illas pœnas incurrendas, hoc non habet, quia abiuratio est, sed quia inflicta per sententiam: & per consequens, quæcumque pœna quæ per sententiam in Sancto Tribunalis Officio imponitur, inhabilitat sententiatum independenter ab abiuratione.

162 Exemplificat Bordonus suam sententiam, ibi: *Quarè punitus ob blasphemiam non hæreticalem, vel quia omisit denunciare, non afficitur hoc Decreto.* Vbi illud de blasphemia non hæreticali non venit ad propositum, quia blasphemia non hæreticalis non pertinet ad Sanctæ Inquisitionis Officium. Diana *coordinat.tract.12.tom.5.resol.8.num.12.* & ipsemet Bordonus *tom.1.Sacri Tribunalis, cap.26. num 38.* Salelles *lib.1.regul.138.num.65.* Decretum autem loquitur de pœnis impositis pro delictis ad Sanctæ Inquisitionis Officium spectantibus. Ad illud de non denunciantibus, respondetur, quòd si omittens denunciare, sententiatus sit in forma iuridica, & illi impositum fuerit per sententiam pœnitentiæ genus aliquod, etiam comprehenditur sub dispositione Decreti Vrbani VIII. semper enim ad pœnas inflictas per sententiam in Sacro Tribunali independenter ab abiuratione, oritur infamia. Quod adeò certū est, vt si alicui imponatur per sententiam vna tantùm recitatio Orationis Angelicæ, non admittetur posteà ad Officia Sanctæ Inquisitionis, nisi habita priùs dispensatione de infamia ad sententiam sequuta.

163 Nec in hac parte Bordonus facit opinionem probabilem, quia vt ipsemet docuit in Propugnac. opinionis probabil. *cap. 5. num.45.* & 46. Doctor singularis debet fulcire propriam opinionem ratione firma, aliter non tribuit illi probabilitatem. Vndè, concludit Bordonus: *Opinio Doctoris non allegantis legem, rationem, aut auctoritatem, non est attendenda.* Sententia Bordoni in hac materia non habet legem, rationem, neque auctoritatem, ideòque non est attendenda.

164 Adducitur quoque in exonerationem Patris Francès, & in corroborationem doctrinæ Bordoni, Thomàs Hurtad. *resolut. moral. tract.4.cap.2.num.801.* vbi docet, non esse inhabilem ad officia Ordinis Confessarium, qui prius quàm Ordinem intrasset, punitus fuerat à Sancto Officio propter solicitationem. Hæc verba habet, ibi: *Tùm, quia Decretum loquitur de illis Regularibus, qui cùm sint Religiosi puniuntur ab Inquisitoribus, propter suspicionem hæresis.* Ex qua auctoritate inferunt: ergo sensus Hurtadi est, quòd delictum debet continere suspicionē hæresis, vt comprehendatur sub Decreto.

165 Hæc enim consequentia non infertur, nec hoc disputabat Hurtado, nec ad illius intentum erat; quia solùm voluit dicere, quòd Decretum afficiebat Religiosos, qui erant pœnitentiati, cùm essent in statu Religionis, non verò si aliquis, propter solicitationem, verbi gratia, esset in Sæculo pœnitentiatus, & posteà transiret ad Religionem; iste enim non afficeretur pœnis contentis in Decreto, abstrahendo ab eo quòd debeant esse penitentiati ob suspicionem hæresis, vel non.

166 Quod evidenter convincitur ex ipso Hurtado *part.2.resol.moral.append.1.num.874.* ibi: *Nota quartò, quòd Regulares, qui servato iuris ordine iuridicè, & iudicialiter puniuntur, & pœnitentia iuridica afficiuntur, sunt priuati voce activa, & passiva, & inhabiles efficiuntur ipso facto ad omnes Religionis suæ gradus, & officia. Ita decrevit Vrban.VIII.* Hic nullam facit mentionem de suspicione hæresis, quam si fecit loco assignato in numero antecedenti, est, quia casus de quo loquebatur Hurtado, erat de solicitatione, quæ habet suspicionem hæresis.

167 Comprobatur ex doctrina ipsius Thom. Hurtad. *part.1.resol.moral.tract 4.cap.8. resolut. 60.§.2.n.788.* ibi: *Quia condemnatus propter crimen publicum in iudicio, est infamis, etiam post adimpletam pœnitentiam, cap.Infamis 3. quæst.7. & infamis dignitates consequi nequit. Regul. infamib.85. de regul. in 6. Et quis negabit, quòd pœnitentiatus iuridicè à Sancto Officio sit infamis, maximè si sit ad triremes, in exilium etiam temporale, &c.* Igitur attendenda est pœnitentia iuridica, quæ ex se infamat, maximè si sit ad triremes, in exilium etiam temporale, &c. Cùm ergo P. Felix Francès fuerit iuridicè pœnitētiatus in Sancto Officio, & inter pœnas illi impositas fuit exilium à Villa Castellionis, & Matriti, & à Civitate Valentiæ; dicendum erit, quòd iuxta doctrinam Thomæ Hurtado incidit in pœnas Decreti Vrbani VIII. & sic inhabilis effectus est ad Officia Ordinis independenter ab abiuratione.

168 Et quamvis Thom. Hurtad. *dict.part.1. resolut.moral. tract.4. de Confessor.sollicit.resol.60. §.2.à n.790 pag.225.* asserat, non esse receptū Decretum Vrbani VIII. in Hispania; tamen in ptima append. *tom.2. de cōgr.sust.Eccles.pag.294. num.877.* retractat suum dictum, ibi: *Dubitatur primùm, vtrùm quoad omnia, quæ in eo continentur, sit praxi receptum in Supremo S. C. & Generalis Inquisition. Hispaniæ? Existimo, vsu, & praxi recipi, quòd sic pœnitentiati ipso facto sint priuati voce activa, & passiva, & sint inhabiles ad omnes Religionis gradus, & Officia Regularia.*

169 Sed quidquid sit de hac quæstione, an Regularis debeat abiurare de levi ad incur-

currendas pœnas Decreti Vrb. VIII. vel non? quia de illa iam satis dictum est, prosequendo nostrum factum; videtur incredibile, quod Pater Francès non abiuraverit saltim de levi; nec hoc ab illo absolutè negatur, cùm in confessione affirmet, de hoc non recordari, vt patet ex processu, pag. 5. quia cùm propter propositiones, quas publicè prædicavit fuisset à Sancto Officio captus, in eiusque carceres per sex menses carceratus, & postea per sententiam in gravibus pœnis punitus; debet concludi per necesse, illas propositiones fuisse, ad minùs, vel temerarias, vel malè sonantes, vel scandalosas, &c.

170 Quærit ad intentum Bordonus, *tom. 1. de Sacro Tribunali, cap. 41. de varijs gradibus propositionum, quæsitu 42. an indicenda sit abiuratio proferentibus propositiones in omnibus earum gradibus suprà enumeratis sub quæsitu 35. Propositiones enumeratæ, vt censurabiles, dicto quæsitu 35. num. 87. sunt: Temeraria, malè sonans, scandalosa, periculosa, arrogans, seditiosa, schismatica, blasphema, maledica, iniuriosa, & improbabilis.*

171 De his quærit Bordonus, an illas proferentes debeant abiurare? *& num. 99.* Respondet affirmative, ibi: *Abiuratio igitur istis indicenda est, vel de vehementi, vel de levi, iuxta qualitatem propositionis, quæ enim approximatur hæresi abiuranda est de vehementi, quæ vero elongatur ab eadem, de levi.*

172 Quòd pœnitentiæ dicto Patri Francès per sententiam iuridicè impositæ sint graves, est certum: exilium enim à Villa, & Conventu Castellionis, Matriti, & à Civitate Valentiæ, computatur in Sancto Officio in numerò pœnarum gravium. Carena *de Offic. S. Inquisition. part. 3. tit. 13. §. 6. num. 68.* vbi sic ait: *Blasphemi etiamsi viles sint, aliquando post flagella in exilium mittuntur..... & sic in Regno Siciliæ quidam blasphemus in secunda condemnatione, post abiurationem de levi fuit quatuor annorum exilio mulctatus, vt testatur Sesse decis. Regni Aragoniæ, tom. 4. decis. 470. num. 24.* Simanc. *de Catholic. Institution. tit. 8. num. 1.* loquendo de pœna exilij, sic ait: *Cæterùm in iudicio Inquisitorum hac pœna vsu recepta est, vt pro atrocioribus blasphemijs maledicus plebeius trahatur in spectaculum publicum... .. & publicè sententia pronuncietur, & confestim flagellis cæsus in exilium mittatur; si verò blasphemus nobilior, aut honestior fuerit..... pœnitentiam publicam similiter agit, & ad certum tempus in Monasterium detruditur...... & nonnunquam propter suspicionem abiurare cogitur.* Salced. ad Diaz *cap. 210. sub lit. A* Soul. *de Confessarijs solicitantib tract. 2. cap. 15. num. 13.*

173 Suspensio, vel privatio per quadriennium ab officio concionandi, etiam pœna gravis est in Sancto Tribunali Genuens. *in praxi, cap 81.* Caren. *part. 3. tit. 13. §. 11.* Simanc. *de Catholic. institut. tit. 49. num. 3.* vbi hæc habet verba: *Quòd si Prædicator examinatus, & approbatus aliquid scandalosum, aut suspectum dixerit, ab Inquisitoribus vocandus est, & statim cogendus, vt publicè illud retractet; vel pio, & Catholico sensu populo exponat; & præterà corrigendus, & admonendus est, nè talia iterùm prædicare audeat. Si verò hæresim aliquam prædicaverit, puniendus quoque est pro modo criminis, & officio prædicationis privandus; ea enim pœna infligenda est illis, qui graviùs in officio delinquunt; l. de legat. l. Si aliquid, C. de suscept. & arca, lib. 10.* Albert. *lib. de agnoscen. assert. Cathol. quæst. 36 num. 8.* Caren. *part. 2. tit. 1. num. 142.* vbi dicit, Opifices, qui in sua arte vario modo in publicam perniciem deliquerunt, non solum damnandos in pœnam eisdem excellentissimo Ordini benè visam, sed vlteriùs inhibendum eis id omnino, nè vlteriùs arte sua ad tempus vtantur, vt eis occasio delinquendi auferatur, & in eo, in quo deliquerunt, puniantur. Hoc repetit Carena *dict. part. 2. tit. 6. §. 8.*

174 Quod confirmatur; quia Confessores ad turpia solicitantes in confessione, abiurant de vehementi, vel de levi; & in Italia solent ad tempus privari ne audiant aliorum confessiones; & de praxi communi testatur Homobonus *in examine Ecclesiast. p. 1. tract. 5. cap. 16. quæst. 99.* Riccius *part. 3. Collect. 549.* & Castro Palao *in Sum. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. num. 2.* licèt in Sacro Tribunali Hispaniæ perpetuò priventur, vt affirmat Diana coordinat. *tom. 5. tract. 12. resolut. 3. num. 7.*

175 Retractatio propositionum, quas dictus Pater Francès prædicaverat, facta publicè, etiam reputatur pœna gravis, & infamatoria; quia cantare palinodiam, & se dedicere, est pœna infamans. Avendaño *in tit. de iniurijs, num. 17.* Salgado *de Regia protect. p. 2. cap. 4. num. 272.* ibi: *Cum hæc contradictionis, sive palinodiæ cantandæ pœna, sit infamatoria, & dedicens sit infamis;* quæ pœna severa est, & perquàm dura; siquidem ille, qui se dedicit, totò exauthoratur honore, etiam quantumvis dignitate perfulgeat. *Ex l. 8. tit. 3. p. 7. l. 5. eâ tem p. & l. 2. tit. 8. Recopilationis.* Ob quam rationem Parlad. *lib. 1. rerum quotidianarum, cap. 17. num. 31. & 32.* probat, nobilem hac ignominiosa pœna non plecti. Vnde dicta retractatio per sententiam imposita, dicenda venit pœna gravissima, cùm tangat famam. *L. si inimicitia, ff. de his quibus vt indignis.* Azevod. *in l. 2. tit. 10. lib. 8. Recopilat. num. 233.*

176 Reclusio in Conventu de Requena etiam debet computari inter pœnas graves. Primò, quia ad effectum infamandi omnis pœna, quæ in Sancto Officio imponitur per sententiam, gravis est. Secundò, quia praxis Sanctæ Inquisitionis est detrudere Cõfessarios solicitantes in aliquod Monasterium per aliquod tempus, post abiurationem de levi, vel de vehementi, vt notavit Seraphin. Freitas *in additionibus ad Acuñam, quæst. 24.* Sousa *de confess. solicit. tract. 2. num. 13.* ibi: *Imponitur etiam exilij pœna, reclusionis in aliquod Monasterium.* Castro Palao *in Sum. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. num. 2.* ibi: *Et vno, vel duobus annis in aliquod Monasterium detruditur.*

177 Quòd omnes istæ pœnæ post dimidij

anni carcerem impositæ per sententiam publicè, & in aula Sancti Tribunalis lectam propter propositiones, quæ ad minùs non essent suspectæ de levi, incredibile videtur, & prorsus alienum à practica Sancti Officij, in quo semper misericorditer, & non severè proceditur. Simancas *de Catholic. institut. tit.47. de pœnitentibus, & conversis, num.79*. Carena *de Offic. Sanctæ Inquisitionis, part.3. tit.14. §. 13.* & Sanctum Tribunal semper habet præ oculis qualitatem delicti, & mitiùs punit. Carena *vbi supr. num. 93. & 94.* Ex quibus omnibus concluditur, pœnitentias inflictas dicto Patri Francès fuisse graves; & comprehensas in Decreto Vrbani VIII.

178 Nunc deveniamus ad Ordinem, & modum procedendi in hac causa observatum à Rmo P. Commissario Generali; & dicendum est, rectè, & ritè processisse, cum ex inspectione processus constet de notorietate sententiæ Sancti Officij, vt habetur ex ipsa confessione Rei; ex qua sententia absque aliqua declaratione sequitur necessariò inhabilitas contenta in Decreto. Bordonus *tom.1. de Sacro Tribunali, cap.27. num.39.* ibi: *Absque alia Iudicis sententia, seu declaratione sequitur ad sententiam per Inquisitionis Iudicem latam, quamvis in ea nulla fiat mentio huiusmodi inhabilitatis, & in hac nulla est difficultas.*

179 Quia cùm dictus Pater Felix Francès fuerit iuridicè sententiatus, & pœnitentiatus in Sancto Inquisitionis Officio; ad quam iuridicam sententiam sequitur inhabilitas per Decretum Vrbani VIII. quæ non potest dici propria pœna, sed, quòd consequutivè veniat ad criminis pœnam, per ea, quæ tradit Giurba *cons. 44. sub num. 27.* sequitur necessariò in pœnitentiato iuridicè dicta inhabilitas absque aliqua alia declaratione. Authentica *de Tabellionibus, §. final.* Bartholus, & Angelus *num.2.* Paulus de Castro *num. 3. in l. siquis ex argentarijs, §. Agatur, ff. de edendo.* Barthulus *cons. 174. num. 5. part. 1.* Tuschus *littera T. conclus. 113. num.22.*

180 Quod exemplificant DD. in Notario condemnato de falso, in cuius condemnatoria sententia, licèt non exprimatur privatio ab Officio; venit ex consequentia illius privatio, quia pœna privationis Officij est tali Notario à iure imposita pro crimine falsi. Bartholus, Angelus, Rebufus *in l. si aliquid, C. de suscept. lib. 10. ex quo textu probatur, Notarium de falso condemnatum Notariatus Officium exercere ampliùs non posse, etsi expressè in sententia non priuetur.* Giurba *cons. 45. num. 29.* Rota apud Farinatium *cons 5. num.38.*

181 Et confirmatur, quia inhabilitatis pœna in Decreto contenta imponitur *eo ipso*, quæ dictio importat, incursum pœnitentiatum ipso iure, & absque aliquo hominis, vel Iudicis ministerio. Abbas *in cap. Si diligenti, num. 8. de for. competent.* Tiraquel. *in l. Si vnquam, verb. Revertatur, num.18. de reuocand. donationib.* Theodos. de Rubeis *in sing. tom.2. part.4. claus. 334.*

182 Ex quo, data notorietate dictæ sententiæ Sancti Officij, posita confessione iudiciali Rei, potuit dictus Pater Francès eijci à Diffinitoris Officio absque strepitu iudiciali; quia, vt fatetur Bordonus *de Sacro Tribun. dict. cap.27. num.44.* ibi: *Promotus peccauit recipiendo Offitium, & cùm nulla sit electio, tenetur renunciare, & cedere Officio, quia dicitur intrusus, & illud vsurpasse contra Decretum Vrbani VIII.*

183 Potuit ergo Rmus P. Commissarius Generalis declarare notoriam ineligibilitatem, & intrusionem, quam patiebatur Pater Francès, non solùm ipsum citando ad sententiam, & declarationem audiendam, verùm etiam ipsum non audiendo; quia dicta Sancti Officij sententia, & eius notorietas habita fuit ex confessione ipsius Rei, ex qua habetur notorium iuris, & facti. *Cap. Vestra, de cohabitatione Cleric. & mulier. cap. finali, infrà eodem, cap. Cum inter, de re iudicata.* Fagnan. *ad dict. cap. Vestra, num.73.* Addentes ad Buratum *decis. 166.* sic enim ex Antonio Butrio diffinivit notorium Fagnan. *cap. Vestra, num.76.* ibi: *Notorium iuris est evidentia ex iudiciali confessione, vel probatione, vel de re iudicata proveniens.*

184 In notorijs autem nullus ordo servari debet, imò ordo est, ordinem non servare. *Cap. Manifesta, cap. Cœlum 2. quæst. cap. Bone 1. de elect. cap. Quoniam, de filijs Presbyterorum, cap. Evidentiam, de accusat. l. Ea quidem, ff. de accusat.* Fagnan. *in cap. Vestra, de cohabit. Cleric. & mulier. num.95.* Abbas *in cap. Post electionem, in fine, de concess. Prabend. & in cap. Ex parte 2. de officio delegati.* Felin. *in cap. Cum ordinem, de rescriptis,* Burgius *in tract. de modo procedendi ex abrupto.* Gutierrez *de iuramento confirmatorio, part. 1. tit. de appellationib. cap.7. à num.4.* Solorçan. *de iur. Indiar. lib.2. cap.27. num.89.* Bichius *decis. 531. num.7.* Donat. *tom.1. tract.13. quæst.51. & 52.*

185 Et licèt aliqui opinati sunt, quòd hæc theorica, licèt sit vera, perdifficilè est illam reducere ad praxim. Eminentiss. Cardinal. de Luca *de iudicijs, discurs.9. num.24.* Amenus *in Pract. Crimin. tit.3. §. 11. num.57.* Tamen omnes fatentur, quòd in delictis notorijs notorietate iuris, & facti, procedi potest ad declarationem sine citatione: & exemplificant in delictis sententiatis, pro quibus certa pœna imponitur de iure. Maranta *in prax. part.6. memb. 1.* Addent. ad Vestrium *lib.6. cap.2. num.30.* Addent. ad Buratum *decis. 166.* Bichio *decis. 589. num. 13.* Eminentiss. de Luca *de iudic. dict. discurs.9. num.24.* Amenus, *dict. tit. 13. num. 58. vers. Casu ergo.*

186 Hanc sententiam tutati sunt Abbas *in cap. Cum olim, de verbor. signific.* Innocentius *in cap. Ex insinuatione, num.1. in fin. de appellat.* Peyrinis *tom.3. cap.18. num.1.* Rota apud Bichium *decis. 531. num.7.* vbi, quòd ex sententia notorietas facti resultat. Anchartan. *in cap. Cum olim, de sententia, & re iudicata.* Abbas *in cap. Ex insinuatione, de appellat. circa finem.* Felinus *in cap. Cum olim, vers. Non est citandus;* vbi Abbatem,

tem, Aretinum, Innocentium, Hostiensem, Lupum, Immolam, & innumera iura citat. Sanctorus *de pœnis, cap. 1. pag. 28. vers. Advertendum tertiò*; vbi in specie nostri casus, ibi: *Sic manifestè intrusus expeliatur inauditus.*

187 Ex quibus omnibus firma manet resolutio dubij; nempè, rectè processisse Rmum Patrem Commissarium Generalem in declaratione inhabilitatis Patris Francès, cumque non citatum, & inauditum inhabilem declarando, cum ex ipsius confessione iudiciali notorium esset, ipsum fuisse sententiatum iuridicè in Sancto Tribunali: quia in notorijs citatio non est de iure naturali, cum suffragari non possit, nec habeat reus defensiones, & sufficit illum citare ad sententiam. Burrius *in cap. Olim, de re iudicata.* Iulius Clarus *in prax. crimin. §. finali, quæst. 9. num. 4.* Donatus *in prax. tom. 1. tract. 3. quæst. 52.* Sanctorus *dict. cap. 1. pag. 28. vers. Advertendum tertiò.*

188 Et licèt à declaratione, & sententia interposita fuerit appellatio, & protestatio nullitatum electionum à dicto Patre Francès, dicèdum est, nullam vim fecisse Rmum P. Commissarium Generalem, non deferendo prædictæ appellationi, & protestationi: quia convicti, & confessi non appellant. *Cap. Romana Ecclesia 3. de appellat. in 6. §. Si autem, l. 2. cap. Quorum appellationes, non recipiantur, cap. Consuluit 1. cap. Proposuit, in fine.* Fagnanus *ad cap. Vestra, de cohabitat. Clericor. & mulier. num. 104.*

189 Est enim talis appellatio frivola, vt expressè habetur in nostra Practica Criminali, ibi: *Friuolæ appellationes omninò reyciantur; hæ autem sunt, cum appellat reus confessus, & convictus; nisi probare vellet, confessionem fuisse factam per vim, metum, vel errorem.* Ex Practic. Crimin. *tit. 3. Canones circà recursum, §. 11.* & ibi Ameno *num. 59. vers. Sic ergo explicato* Concordant Innocentius *in cap. Ex parte, 1. de verber. significat.* Dominicus *singular. 324.* Decius *in cap. Cum speciali, §. Porrò, de appellat.*

DUBIUM QUARTUM.

Vtrùm sententia lata contra R. Patrem Fr. Ferdinandum Lopez, & decreta contra ipsum probata, sint valida?

190 SEquuta declaratione incursus in pœnis contentis in Decreto Vrbani VIII. die 1. Octobris 1626. contra Patrem Francès, & quòd ipsius promotio fuit invalida, nulla, & contra probibitionem Decreti Apostolici, clarissimè apparet, etiam alios fuisse transgressores dicti Decreti. Quia cùm ex informatione contra dictum Patrem Francès facta liquidò constaret, fuisse promotum contra Decretum, vtpotè sententiatum à Sancto Inquisitionis Officio in pœnas graves, necessario duxit Rmus P. Commissarius Generalis inquirere contra promoventes: nam cùm Pater Francès fuisset promotus ad officia Guardianatus, & Diffinitoriatus, dabantur certè promoventes; quorum excessus efficacitèr tenebatur corripere; ad corrigendos enim subditorum excessus tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quanto damnabiliùs eorum offensas incorrectas relinqueret. Verba sunt Innocentij III. *in cap. Licèt Heli. 31. de simonia: Nihil enim prodest Prælato sua bonitas, si filiorum excessus efficaciter non corripit.* Et vt ait idem Innocentius in relato cap. *Licèt Heli: Iste, Summus Sacerdos, quia filiorum excessus efficaciter non corripuit, licèt in se bonus existeret, & in se, pariter & in ipsis animadversionis Diuinæ vindictam excepit; dum filij eius in bello perempti, ipse de sella corruens, fractis ceruibus, expirauit.*

191. Cùm autem tribus modis procedi possit, per accusationem videlicèt, denuntiationem, & inquisitionem, vt habetur in relato cap. *Licèt Heli*; deventum fuit ad inquisitionem generalem promoventiũ. Constabat enim iam extraiudicialiter Rmo P. Commissario Generali per clamorosam insinuationem, R. P. Ferdinandum Lopez fuisse vnum ex promoventibus dictum P. Felicem Francès: & quia in Capitulo Provinciali Alonæ suum votum expressit Rmo Commis. Generali pro Diffinitoriatu P. Felicis Francès; & ex summaria apparuit, R. Patrem Fr. Ferdinandum Lopez, Patrem digniorem, S. Provinciæ Valentinæ esse infamatum. Quarè necessum fuit ad inquisitionem specialem procedere, in eaque probatum fuit ex plurium testium testimonio, dictum Patrem Fr. Ferdinandum Lopez semper habuisse sub sua tutela, filiatione, & patrocinio dictum Patrem Francès, provt vsus exigit in ea Provincia, consequenterque pro viribus procurasse ipsum semèl, & iterum in Guardianum institui.

192 Vlteriùs probatum fuit, quòd quamvis post prædictas Institutiones ortæ essent dubitationes aliquæ de ineligibilitate prædicti Patris Francès, quia supponebatur ab aliquibus, fuisse sententiatum à Sancto Officio Inquisitionis in pœnas graves; tamen ipse P. Ferdinandus se opposuit, asserendo, & certificando, sententiam iudicialem non præcessisse, nec pœnas Patri Francès inflictas fuisse graves, sed salutares pœnitentias. Constitit etiam, quòd in Capitulo celebrato anno 1693. fuit dictus Pater Francès institutus Guardianus de Elda ad petitionem Patris Lopez, qui cùm esset vnus ex Vocalibus, eum proposuit, & de obiecta sententia Sancti Officij ab aliquibus alijs Vocalibus nervosè defendit, asserendo, vt dictum est,

est, talem sententiam non fuisse datam, nec Patrem Francès condemnatum in pœnas graves, non fuisse carceratum, sed in Conventu detentum, dimissumque impositis pœnis salutaribus. In quo Capitulo suffragatus fuit Pater Ferdinandus Lopez pro Patre Francès; vt patet ex quatuor testium depositionibus, qui erant ex Diffinitorio tunc temporis, asserentium, se negasse suffragium ex consilio inter eos habito, ob inhabilitatem Patris Francès: quibus suffragijs detractis, cùm in Diffinitorio interessent novem Vocales, remanent alij quinque, qui suffragium affirmativum dederunt Patri Francès; inter quos fuit R. Pater Lopez, qui proposuit, & patrocinatus fuit Patr. Francès in ipso electionis actu.

193 Constat etiam, P. Ferdinandum Lopez habuisse notitiam carcerationis factæ de dicto P. Felice Francès per Sanct. Inquisitionis Officium; erat enim tunc de corpore Diffinitorij dictus P. Ferdinandus Lopez. Constat, habuisse notitiam, quòd dictus P. Felix Francès fuit iuridicè sententiatus in Sancto Inquisitionis Officio. Constat, habuisse notitiam, quòd dictus P. Francès erat privatus munere concionandi, & esse reclusum in Conventu Requenæ, de mandato Sanct. Inquisitionis. Et cùm omnia hæc sciret dictus P. Ferdinandus Lopez (vt ipsemet confessus est, cum qualitate, quòd nihil horũ poterat ignorare, vt constat ex sua iuridica confessione) non solùm veritatem celavit, quando controversia oriebatur super pœnis impositis dicto Patri Felici Francès; sed constanter defendebat, nec fuisse carceratum, nec iuridicè pœnitentiatum in Sancto Officio. Sic dixit Rmo Patri Zarzosa: Sic affirmavit Rmo Hernandez: Sic quoque respondit Rmo Patri Fr. Antonio de Cardona, Commissario Generali, cùm de præmissis interrogaretur; & manu propria firmavit, addens, sic responsum fuisse per Dominos Inquisitores: Ex quo arguitur dolus, vt patebit infrà.

194 Deventum fuit ad confessionem iudicialem R. Patris Lopez recipiendam; qui cum iuramento confessus fuit ferè omnia prædicta, & ipsum in specie proposuisse dictum Patrem Francès ad Officium Diffinitoriatus, dictamenque affirmativum præbuisse. Quibus peractis, traditaque copia processus, Rmus P. Commissarius Generalis Decretum Provisionale dedit die 25. Aprilis 1698. iubendo Patri Lopez, vt se abstineret à voce activa, & eum suspendendo, quatenus opus esset, à dicta voce. Et postmodùm, datis terminis defensorijs, & conclusa causa, fuit promulgata sententia sub die 7. Iunij 1698. declarando, dictum Patrem Lopez esse promoventem dicti Patris Francès, proptereàque incursum in pœnas privationis officiorum, & voce activa, & passiva ipso facto, iuxta seriem Decreti SS. D. N. Vrban. VIII. die 1. Octobris anni 1626.

195 Ex hoc facto duo veniunt discutienda. Primùm, an dictus R. P. Lopez, post inquisitionem, & iudicialem confessionem, traditamque ipsi probationum copiam, ritè fuerit suspensus? Secundùm, an posteà iustè fuerit condemnatus in pœnam privationis officiorum Ordinis, vocisque activæ, & passivæ? Et claritatis gratia singula suo ordine claritate, qua potero, exponam.

196 Quoad primum, licèt controversia sit apud DD. an, accusatione pendente, possit Officialis suspendi, pluribus negantibus apud Riccium *p. 3. decis. Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ, decis. 327.* Gribelum *decis. Dolan. 60. à num. 10.* Capiblancum *super Pragmatic. 5. de Baronib. cap. 23. num. 5. & 6.* Ea ratione, quia nemo, pendente accusatione, à possessione, & dignitate obtenta eijci possit. *Per text. in l. 2. ff. de bonis damnatorum: & in l. libertas, §. In quæst. ff. ad municipalem.* Tondutum *quæst. Benef. part. 1. cap. 44.* Et quia Notarius accusatus de falso, pendente accusatione, potest conficere instrumenta. Auferius *ad Capell. Tolosanam, decis. 370.* Et etiam, quia, lite pendente, nihil est innovandum. *Cap. Laudabilem 3. ne lite pendente*, cum vulgatis;

RESOLUTIO DUBIJ.

197 Tamen contrarium resolvendum venit, non solùm respectu Prælatorum Regularium, verùm etiam respectu Officialium Sæcularium, & Ecclesiasticorum, quando inquisiti sunt de crimine commisso in officio, pro quo pœna privationis est à iure imposita.

198 Probatur hæc conclusio. Primò, quia Tutor accusatus de mala administratione, accusatione pendente, debet ab officio suspendi, & interdici ab administratione. *L. eum quem, C. de suspectis Tutoribus, & Curatoribus. L. quod si forte, §. Sunt quidam, ff. de solutionib. §. Siquis autem, in princip. Institut. de suspectis Tutoribus.* Barthulus *in l. libertus, §. In quæstionib. ff. ad municipalem.* Ioannes Faber *§. Siquis autem, in princip. Institut. de suspectis Tutoribus.* Cavallo *resolut. criminal 76. num. 1.* Franchis *decis. 8.* Grammaticus *cons. 10.* Gratus *cons. 44. lib. 1.* Gutierrez *de tutelis, part. 2. cap. 18. num. 10. & 11.* Robertus Lancelotus *de attent. lite pendente, p. 2. cap. 4. declarat. 4. num. 34. & cap. 5. num. 19.* & ferè omnes DD. infrà citandi.

199 Secundò, quia Officialis delinquens in officio, si delictum sit tale, quòd à iure sit imposita pœna privationis; accusatione pendente, potest suspendi, & ei administratio interdici. Bartholus *in l. libertus, §. In quæstionib. ff. ad municipalem.* Lucas de Penna *in l. unica, columna finali, ad finem versiculi, in Glossa unica, Cod. de reis postulatis, lib. 10. & in l. Iudices, column. 2. vers. Sed an Iudici, Cod. de Dignitatibus, lib. 12.* Afflictis *ad Constitut. Regni, lib. 1. Rubr. 37. super Constitut. Statuimus, sub num. 50. post versic. 6 Facit.* Franchis *decis. 8.* Franciscus Marcus *decis. 654. p. 1. Decisio Tolosana 370.* & ibi Auferius, Grammaticus *cons. 10.* Gratus *cons. 44. lib. 1.*

Pa-

200 Paris de Puteo *de syndicat. verb. Accusatus, à num. 1. ibi: Quandòque accusatur Officialis, quòd deliquit in efficio, & tùnc retinet interim officium, sed non administrationem.*

201 Cavallo *resolut. criminal. 76. per totam.* Vbi sequendo doctrinam Barthuli *num.* 3. hæc habet verba: *Id autem, quod dicitur de administratione interdicenda Officiali accusato, lite pendente, intelligendum est procedere, quando accusatio est talis, quòd ea probata, removendus is esset ab officio, aliàs verò, secus; & quando de tali accusatione capta sunt informationes, & incipit constare de mala officij administratione, & non aliter: nec enim ex sola accusatione, qua probata sufficeret ad priuotionem, suspendendus est accusatus administratione, sed solùm quando capta informatione aliquid substantiale contra ipsum apparet.*

202 Alfonsus de Azebedo *in lib.* 3. *Recopilat. tit. 7. l. 14. à num. 1. & 4.* ibi: *Ex quo in his notandum est, quòd quamuis aliàs accusatus de crimine non debeat pendente cognitione suspendi ab officio, l. ree, l. quamuis, ff. de solutionib; suspenditur tamen, quia accusatus de crimine in officio commisso.*

203 Lanceloto *de attentat. p. 2. cap. 4. declarat. 4. num. 28.* ibi: *Quarto fallit in Officiali, qui deliquit in officio; nam lite, & inquisitione pendente contra eum, suspenditur ab officio; & non solùm priuatur possessione in qua erat, verùm etiam futura possessione, quam potuisset sperare se quandoquè recuperaturum.*

204 Idem Lancelotus *dict. p. 2. cap. 5. num.* 16. ibi: *Septimò fallit in Officiali, qui venit syndicandus ex eo, quòd deliquit in officio; nam tùnc sibi interdicitur administratio.*

205 Antonius Graña *in lib 2. Decretal. tit. 16. vt lite pendente, num. 11.* ibi: *Accusatus de delicto in officio commisso, si publica præcéssit diffamatio, lite pendente, ab officij administratione interdici poterit.*

206 Pax Iordanus *tom. 3. lib. 14. tit. 14. vt lite pendente, num. 153.* ibi: *Tertiò fallit in Officiali, qui venit syndicandus, eò quod in officio deliquerit; nam tùnc sibi interdicitur administratio.*

207 Quod est generale in omnibus criminibus, pro quibus est imposita pœna privationis ipso iure, vt notant DD. *in l. Imperatores, ff. de iure Fisci.* Gloss. *in cap. Commissa, verb. Institutio, de elect. in 6.* Philippus Probus *in cap. Altima, num. 8. de sentent. excommunicat. in 6.* Francus *in cap. Cum secundum, num 6. de hæretic. in 6.* Cardinalis *in Clement. 1. vt lite pendente, quæst. 8.* Felinus *in cap. Cum ab homine, num. 6. de indicijs,* Petrus Rebuffus *in prax. Benefic. 3. p. principali, num. 4. fol. 355.* Lancelotus *de attentat. p. 2. cap. 5. num. 35. & 36. & DD. infrà citandi.*

208 Tertiò, quia idem procedit respectu Beneficiorum Ecclesiasticorum, prout probant iuta expressa. *Primo in cap. Omnipotens 4. de accusat.* & ibi DD. *cap. Accusatum 4. de simonia,* ibi: *Accusatum simoniacum necesse habuimus prohibere ne Missarum solemnia celebraret, donec quid esset verius constitisset.*

209 Cap. de Quod-Vuldeo 1. *de indicijs*; de quo latè Innocentius Syronius *lib. 2. observat. iuris Canonici, cap. 3.* Vbi Quod-Vulddus, Episcopus Centuriensis, reus postulatus, fuit excommunicatus, & ademptio Episcopatus reservata ad exitum causæ Ex quo textu manifestè probatur, accusatum, lite pendente, posse suspendi: excommunicatio namque suspensionem includit.

210 Quod-Vuldeus enim fuit accusatus de crimine, & ad Concilium Melivitanum citatus, eoque non comparente, excommunicatus, & non privatus Episcopatu: *Nam, & adimi sibi Episcopatum ante causa eius exitum nulli poterat de iure videri.* Ergo excommunicatus fuit accusatione pendente propter delictum pro quo accusatus fuerat: aliter enim non rectè in textu assereretur: *Nam & adimi sibi Episcopatum ante causa eius exitum, nulli potest de iure videri.* Nec excommunicatio prolata esset, *donec causa eius qualem potuerit terminum sumeret.* Vt legitur in notis Petri Francisci Pithæi in impressione Parisijs apud Dionysium Thierris 1687.

211 Quæ littera est conformis; nam desumpta est ex Canone 87. Concil. Melivitani, vel Africani, iuxta Regiam editionem Concil. Lutetiæ Parisiorum 1671. *tom. 2. in Codice Canonum Ecclesiæ Africana, column. 1001 Canon.* 87. ibi: *de Quod-Vuldeo etiam Centuriensi; quomodo aduersarius ipsius, cùm se petuisset introduci ad Concilium nostrum, interrogatus, vtràm cum eo vellet apud Episcopos experiri? primo promisserat, & alio die respondit, hoc sibi non placere, atque discessit. Placuit omnibus Episcopis, vt nullus eidem Quod-Vuldeo communicet, donec causa eius qualem potuerit terminum sumat: Nam adimi ei Episcopatum antequam causa eius exitus appareret, nulli Christiano videri de iure potuisset.*

212 Addi etiam debet dictio, &, in vers. *Nam adimi,* ita vt legatur, *Nam & adimi ei Episcopatum,* vt notat Pitheus *in dict. text.* Nam sententia Patrum desumpta fuit ex *Epistola* 2 Felicis Papæ I. ad Galliæ Episcopos, quæ habetur in editione Regia Concilior. Lutetiæ Parisior. 1672. col. 906. vbi hæc verba: *Adimi namque Episcopo Episcopatum, antequam causa eius exitus appareat, nulli Christiano videri de iure potest* Et in notis marginalibus refertur hæc sententia ad Canonem 87. Con African.

213 Vnde excõmunicatio necessariò debuit proferri; quia accusatus erat Episcopus de crimine gravi; quia fuit excõmunicatus quousque causa eius qualem potuerit terminũ haberet; eò quia Episcopatus adimi nõ poterat ante causæ exitum Ergo non per contumaciam, vt asserunt plerique DD. adhærendo litteræ textus diminutæ Decretalium. Primò; quia non accusatus erat de contumacia. Secundò; quia excommunicatio fuit imposita vsque ad exitum causæ; & si imposita esset per contumaciam, non vsque ad exitum causæ, sed vsque ad purgationem contumaciæ imponeretur, Fagnanus *in cap G. Perpetuus, à num. 26. de fide instrument.* Tertiò; quia absque citatione præam-

ambula excommunicatus fuit; & contumax debet non solùm citari, sed si latitet, decerni debet ad eius domum citatio. *Cap.1. cap.4. cap. Cum dilect. de dolo, & contumac.* Covarrub. *in cap. Alma mater, §.9. num.4.* Quartò; quia imposita fuit excommunicatio pro qua expectandus erat exitus causæ, & illius cognitio, vt deveniretur ad ademptionem Episcopatus: sed causa, cuius exitus sperabatur ad ademptionem, non erat contumaciæ causa, sed criminis pro quo erat accusatus: ergo excommunicatio prolata, pendente accusatione, non propter contumaciam, sed propter diffamationem criminis, de quo erat accusatus, inflicta fuit; maximè cùm contumacia non sufficiat ad privationem. Fagnanus *ad textum cap. G. Perpetuus, num. 25. de fide instrument.*

214 Probatur etiam expresè *ex cap. Licèt Heli, 31. de simonia*, in quo texru supponitur, quendam Abbatem Pompotianum fuisse diffamatum de simonia, periurio, dilapidatione, ac insufficiencia; Pontificemque Innocentium III. ex Officio inquirere cœpisse, receptisque testibus, & Abbatis confessione, suspensum fuisse, ibi: *Quia verò, tùm ex assertione Monachorum, tùm ex ipsius Abbatis confessione cognouimus, quòd idem non modicam summam pecuniæ relictam à Prædecessore suo, expenderat, & in alia summa maiori Monasterium obligarat: Nos eum quasi de dilapidatione suspectum ab administratione Abbatiæ duximus suspendendum.*

215 Probatur etiam evidenter, posse inquisitum pendente inquisitione suspendi ab officio, & administratione Ecclesiastica. *Ex cap. 9. Quia ea, 3. quæst.2.* ibi: *Quia ea, quæ de fraudibus Maximiliani flebili ad aures nostras supplicum relatione venerunt, non facilè secundùm veritatem agnosci poterunt, nisi facultas Ecclesiæ, quam in vsus suos malè convertendo dispersit ab eius potestate, donec causa cognoscatur, separatur: idcirco Nos eum & à supradicta Ecclesiæ Patrimonio volumus interim submoueri, & in vestro discussionis ipsius tempore moderamine detineri.*

216 Decretũ hoc non solùm procedit quãdo quis est suspectus in administrarione temporali, sed etiam in administratione Ordinis, vel spirituali. *Cap. Vulterane, 12. quæst.2.* & notat Glos. *in text. in cap. Quia ea, 9. 3. quæst.2.* ibi: *Hoc autem scias, quòd quandoque administrat is temporalia, quandoque spiritualia, & secundùm hoc remouetur ab istorum, & illorum administratione.*

217 Cum ergo R. Pater Lopez, tanquam Pater dignior esset suspectus de mala administratione vocis activæ, quia constabat per informationem, & confessionem, esse promoventem Patris Francès, pœnitentiati in Sancto Officio Inquisitionis; meritò fuit ipsi interdicta vocis administratio, inquisitione pendente, cùm constaret de mala administratione vocis.

218 Quòd etiam communis Schola Canonistarum comprobat in Clericos simoniacos, qui ab Ordine, & administratione suspenduntur ipso iure, etiam absque Iudicis sententia, eo quòd sint accusati, & diffamati de crimine: quæ suspensio durat, quovsque sententia absolutoria proferatur. Abbas, Innocentius, Zabarella, Bellamera, Ioannes Andr. Annania, Hostiens. Anchar. Butrius, & alij relati à Barbos. *ad dict. text. in cap. Accusatum, 4. de simonia, num.1.* Gonçalez Tellez *ad text. in cap. Quoties, 5. eed. tit.* Fagnan. *ad text. in cap. Accusatum, 4. de simonia, à num.1.*

219 Idem procedit in alijs criminibus, & excessibus commissis in officio, pro quibus imposita est pœna privationis ipso iure, vel ipso facto; tunc namque accusatus, seu inquisitus, si constat ex informativo de substantia criminis, potest suspendi. August. Barbos. *ad text. in cap. Accusatum, 4. de simonia,* ibi: *Et ita videtur, lite pendente, priuari quasi possessione officij, quando scilicèt accusatus, erat infamatus de simonia; & idem dicendum de accusato, seu diffamato de alijs delictis, pendente infamia, vel accusatione.*

220 Gonçalez Tellez *ad cap. Laudabilem 3. ne lite pendente, num.7. in fine: Nec nouum est; vt ob atrocitatem huius facinoris plura admittantur contra iuris regulas, & rigorem. Cap. Tanta, de simonia, cap.1. de confessis; in alijs etiam iuris locis, lite pendente, suspenditur accusatus. Quia licèt sententia lata non sit ab homine, prolata tamen reperitur in iure, quod disponit, vt patratores huiusmodi scelerum ipso facto, nulla sententia præcedente, suspendantur.*

221 Fagnano *ad dict. cap. Accusatum, 4. de simonia, num.8.* ibi: *Quamvis hoc caput, & cap. sequens loquatur de simonia, tamen obtinet sibi locum etiam in alijs criminibus.*

222 Fermosinus *tom.1. tract. criminal. ad dict. cap. Accusatum, 4. de simonia, num.2.* ibi: *Et quia in his iuribus prohibetur, nè celebret accusatus de simonia, pendente accusatione, & ab administratione Diuinorum Officiorum, &c. donet veritas cognoscatur; sic vt videatur lite pendente priuari quasi possessione officij, quando scilicèt accusatus, erat infamatus de simonia; & idem de accusato, seu infamato de alijs delictis, pendente infamia.*

223 Robertus Lancelotus *de attent. lite pendente, part.2. cap.4. declarat.4. num.40.* ibi: *Vndecimò limitat in Abbate, qui licèt ante inquisitionem contra eum formatam (cui Monachus adhærebat) potuisset ad nutum Monachum illum amouere; post tamen inquisitionem motam, id sibi ampliùs non licet; vt est decis. Rota decis. 1. de restitut. spoliat. in antiq. & decis. Ægid. 256. Monachus: & sic Abbas hoc casu per pendentiam inquisitionis priuatur quasi possessione amouendi.*

224 Quartò; quia cùm suspensio procedat contra Officiales Sæculares, & Ecclesiasticos, pendente accusatione, seu inquisitione, à fortiori admittenda est respectu Regularium: isti namque faciliùs, & liberiùs à suis amoventur administrationibus. *Cap. Qualiter, & quando 24. el segundo, de accusationib.* Vbi postquam Innocentius III. dedit formam, qualiter, & quando Prælati debeant procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, & postquam pro-

propoſuit quomodò exceptiones, & replicationes ſint admittendæ, concludit his verbis: *Hunc tamen ordinem circà Regulares perſonas non credimus vſquequaque ſeruandum; qua (cùm cauſa requirit) faciliùs, & liberiùs à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoueri.*

225 Ex quo textu inferunt DD. poſſe Regulares faciliùs amoveri à ſuis adminiſtrationibus, quàm Sæculares; ſcilicèt pendente accuſatione, nullo ſervato iuris ordine, dum conſtet de ſubſtantia criminis, pro quo pœna privationis ſit ipſo iure impoſita. Sigiſmundus à Bononia *de elect. Prælatorum Regularium, dubit.* 49. *num.* 4. & 6. & *dub.* 102. *num.* 6. Laborius *variar. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 23. *num.* 1. & 7. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 13 *quæſt.* 2. *num.* 9. Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *num.* 25. Lezana *tom.* 4. *conſult.* 52. *num.* 16. *vſque ad* 25. Rodriguez *tom.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 1. Ioſephus à Sancta Maria *in Tribunal. Religioſ. tract.* 5. *cap.* 6. *à num.* 1. Barboſ. *ad dict. cap. Qualiter*, & *quando* 24. *de accuſat. n.* 18. & *in votis deciſivis, lib.* 1. *voto* 4. *num.* 46.

226 Et in ſpecie, quòd poſsit deveniri ad ſuſpenſionem Prælatorum Regularium poſt accuſationem, vel inquiſitione pendente, ſi ex informatione appareat pluſquam ſemiplenè de delicto, pro quo eſt impoſita pœna privationis ipſo iure, ipſis non citatis, defendunt, & pro certo tradunt Sylveſter *verb. cit. num.* 4. noſter Rodericus *tom.* 2. *qq. Regular. quæſt.* 26. *art.* 1. vbi excitat quæſtionem: *Vtrùm Prælati Regulares poſsint ſubditos ab Officijs deponere, & ſuſpendere, ipſis non citatis?* Et proſequitur reſpondendo pòſt, ibi:

227 *Reſpondeo, dicendo, quòd ſic: iuxta notata per DD. & maximè per Panormitanum, & ita habet eorum conſuetudo, vel regula; neque eſt in eis ſeruandus ordo iuris vſquequaque, id eſt, ad vnguem. Et ſecundùm Henricum de Gandauo in quodam quodlibeto, Religioſis non licet appellare, vel reſiſtere Prælatis quandiu procedunt ſecundùm ius commune, vel ſecundum Conſtitutiones, vel conſuetudines ſuas.* Et Federicus de Senis dicit: *Quod valent conſuetudines per quas ſine ordine iuris etiam ex leuibus cauſis Religioſi ex ſuis locis, & adminiſtrationibus amouentur.*

228 Addit Rodriguez ex Sylveſtro, quòd quando pœna privationis eſt impoſita ipſo facto, vel ipſo iure, & tùnc probato crimine, removendus eſt Prælatus Regularis ab adminiſtratione abſque citationis neceſsitate; & ſolùm requiri citationem, quando pœna eſt arbitraria, ibi: *Addit tamen doctiſsimus Syluester, quod pœna expulſionis, priuationis, & remotionis quandoque procedit à crimine patrato ipſam pœnam habente ipſo facto; & tùnc, probato crimine, non eſt neceſſaria partis citatio; & in hoc caſu habet verum opinio Federici conſ.* 105. *aut verò originem habet à contumacia, vel inobedientia, & tùnc, ait, vt locus ſit pœnæ, neceſſaria eſt citatio. Quibus ego addo, quod ſi habet originem à crimine, cui reſpondet pœna arbitraria, neceſſaria eſt citatio partis.*

229 Ioſephus à Sancta Maria *in Tribunal. Religioſ. tract.* 5. *cap.* 6. *per tot.* poſt relatam Roderici doctrinam, eam approbat, quando crimen commiſſum habet ipſo iure impoſitam privationis pœnam, & eſt probatum, vel reus confeſſus eſt tale crimen; & aſſerit, quòd in dicto caſu abſque citatione ſuſpendi poteſt Regularis ab officio, concludens his verbis, §. tertiò:

230 *Dos cauſas, ò razones ſe pueden ofrecer, ſegun Sylueſtro, verb.* Citatio, *à quien ſigue Rodriguez, para quitar à vn Religioſo ſu Oficio, ò Dignidad. La primera, quando ha cometido algun delito, al qual, ſegun Derecho, ò ordenaciones generales, ò particulares, correſponde priuacion de oficio; y entonces, dize Rodriguez, que eſtando probado el crimen, no es neceſſario citar al reo, ni guardar con èl algun termino de Derecho; ſino què luego que conſte de el crimen, le pueden declarar por ſuſpenſo, ò priuado de el oficio: mas eſto, entiendo yo, es quando el defecto es publico, ò quando debe eſtàr confeſſo, ò conuicto; que entonces la razon eſtà clara, ſupueſto que aſsi lo pide el rigor de la ley, y no es meneſter citarlo, ni darle cargo alguno, por el qual le conſte, que ſe trata de quitarle el oficio.*

231 Sanctorus de Melphi *de pœnis, cap.* 15. *verſ. Scio etiam diſcuſſum, pag.* 160. ibi: *Scio etiam diſcuſſum, an Officiali delinquenti in officio, pendente lite, ſit illi adminiſtratio adimenda; quod eſſet in materijs Regularibus; an Guardiano, vel Prouinciali delinquenti debeat ſuſpendi iuriſdictio? Et reſponſio eſt affirmatiua, cùm pœna criminis illum officio deſtitueret; ſecus, ſi non; & quando de tali accuſatione capta ſunt informationes, & incipit conſtare de mala adminiſtratione, & non aliter.*

232 Proſequitur Sanctorus, *pag.* 161. ibi: *Ex qua ſolida doctrina habemus primò, quòd eſt in praxi Ordinis Superiores actuales inquiri, dùm de illorum priuatione agitur, eoſque ab officio ſuſpendi.*

233 Quod comprobatur; nam adhuc ad privationem Officij, vel Beneficij non requiritur citatio, quando pœna privationis pro crimine eſt impoſita ipſo iure: vnde Clericus obtinens Beneficium incompatibile, privatur primo abſque citatione. Baldus *in cap. Cum in cunct. de elect.* & notant ſcribentes *in cap. de multa, de Præbend. & in cap.* 2. & ibi Panormitan. *in* 3. *notabili, de feud. & in cap. Fundamenta.* Vbi Gloſ. & Dominic. *de elect. lib.* 6. & *in cap. Licèt Epiſcopus, de Præb. in* 6. Panormitan. *in cap. Accepta, de reſtitutione ſpoliator.* Romanus *conſ.* 212. *incipit, quoad primum, in dub.* 1. & *in conſ.* 483. *incipit, dubitatur primo, column.* 3. *verſ.* 3. *hoc demonſtratur.*

234 Quemadmodum cùm fuiſſet privatus ipſo iure, poteſt eligi alius abſque alia ſententia privationis, quod cõvincitur, *ex text. in cap. Fundamenta, §. Quòd ſi ſecus;* & ibi Dominicus *in* 2. *notabili, de elect. in* 6. Quintilin. Mandoſius *in additionibus ad Lapſum, allegat.* 16. *litt. A.* Oxeda de Mendoça *in tract. de Beneficior. incompatib. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. & 7. vbi reprobat, & dicit, errasſe aliquos contrarium tenentes.

235 Idem Oxeda *dict. part.* 1. *cap.* 13. *num.*

59.

59. dicit: *Quòd quando Beneficium primum vacat ipso iure per obtentionem secundi, non est necessarium adire Iudicem ipsius Beneficij, & petere sententiam declaratoriam priuationis.* Flaminius Parisius *de resignat. beneficior. lib. 12. quæst. 10. num. 10. tom. 2.*

236 Et licèt post collationem alteri factam nulla citatione præmissa non possit possessio tradi, non vocato antiquo possessore. *Cap. Licèt Episcopus, de Preb. nd. in 6.* Oxed *de incompatibilit. Benef. part. 1. cap. 4 num. 8.* Parisius *vbi sup.* quod extenditur ad omnes priuationes Benefic ipso iure, secundùm Gios. *in cap. Licèt Episcopus, verb. Te non vocato, in fin. de Preb. in 6.* Ferretus *cons. 4. num. 4 & cons. 10. num. 10.* Nec facit ad rem, quia ad priuationē Patris Lopez præcessit citatio, & defensionum admissio, & in iuncta fuit suspensionis declaratio, quod sufficit non solum ad repellendum a voce Patrem Lopez; sed etiam ad alium in sui locum subrogandum. Oxeda *de incompatib. Benef. part. 1. cap. 4 num. 9.*

237 Quin sit necessaria alia solemnitas, nam cum per sententiam legalem vere vacaret officium Patris Lopez iuxta Decretum SS D. N. Vrbani VIII nihil ampliùs remanebat faciendum, quàm ipsius facti executio; & Rmus P. Commissarius Generalis in suspensione nihil aliud fecit, quam tradere debitæ executioni pœnam Decreti, tanquam iuris minister, & executor, vt rectè in simili Azebedo *in l. 27. tit. 3. lib. 1. Recopil.* post principium.

238 Hoc procedit etiam in hæretico qui suspenditur officio absque citatione, cùm accusatus esset de crimine pro quo imposita est pœna priuationis ipso iure. Paleotus *decis. 364.* incipit: *Hac causa*, Rebuf. *in prax. beneficial. in 3. part. principali, num. 4. fol. 355.* referens sic decisum. Cardinal *in Clement. 1. vt lite pendente, quæst. 8.* Francus *in cap. Cum secundum, num. 7. de heret in 6.* Lanceloto *de attentat. part. 2. cap. 6.* ibi: *Quia inquisitus non potest administrare, sed etiam contra eum potest innouari; quia eius beneficia (loquendo de heretico) possunt impetrari ante declarationem, & conferri.*

239 Franciscus Tondutus *quæstion. Beneficial. p. 1. cap 44. num. 8.* ibi: *Præterea notandum est, quòd si Religiosus esset suspectus de heresi, posset etiam ante sententiam suspendi ab officio, & dignitate; quia fama eius esset notata apud graues viros.* Et quamuis posteà dicat, quòd post abiurationem recuperat pristinum officium, concludit tamen, prout ibi: *Nisi contra hoc obstet dicta Vrbani Constitutio*, quæ certè repugnat, vt ex eius lectura patet.

240 Ex quibus dicendum est, suspensionem prædictam iustam fuisse; tùm, quia in Officijs Sæcularibus, & Ecclesiasticis legitimè potest ad eam deveniri, pendente accusatione, vel inquisitione; vnde potiori iure admittendum est inter Regulares, qui faciliùs, & liberiùs à suis amoventur officijs. *Cap. Qualiter, & quando, 24. de accusat.*

241 Tùm etiam, quia DD. contrarium tenentes, vt sunt Grivelus *decis. Dolana 60* & cæteri relati *num. 166.* non loquuntur in terminis casus; scilicèt quando Officialis est inquisitus, vel accusatus pro delictis commissis in Officio, pro quibus est imposita pœna priuationis ipso iure: imò in his terminis concedunt, posse fieri suspensionem; & ita distingunt conciliando opiniones. Riccius *p. 3. decis. Curia Neapolitana, decis. 327. num. 5.* vbi concludit, sic decissum fuisse.

240 Grivellus *decis. Dolana, 60* licèt dicat, fuisse decisum, non posse accusatione pendente suspendi Officialem, tamen *num. 14 in fin.* hæc habet verba: *Non obstat etiam Bartholi, & aliorum paulo antè citatorum auctoritas: quia loquuntur in eo, qui in officio suo deliquit, non autem extra officium, iste autem potius circà aliud deliquisse videbatur, quàm circà administrationem officij. Item intelligendi sunt illi de eo, qui tale crimen admisisse dicitur, quo probato, veniet officio suo privandus.*

242 Tondutus etiam *quæstion. Beneficial. part. 1. cap. 44* licèt contrarium teneat; tamen *num. 3.* limitat, quando fama accusati valdè gravata est apud probos, & graves viros. Et num. 4 refert decissam contra suum votum in causa cuiusdam Religiosi accusati in Congregatione Sancti Officij, eo quòd nulla obtenta licentia quasdam Conclusiones Theologicas Typis mandare curavit, & accusatione pendente à voce activa, & passiva suspensus fuit in sua Religione in Capitulo.

243 Capiblanco *de Baronib. ad Pragmatic. 5 num. 77. tom. 1. & cap. 28. num. 5. & 6.* super dictam Pragmaticam 5. asserit, quòd, data accusatione, debet suspendi Officialis absque citatione: & licèt posteà asserat, quòd post informationem captam, & datos terminos defensionis, debet citari, & audiri ad decernendum suspensionem, eius doctrina solùm procedit quando causa terminatur per sententiam suspensionis, & imponitur suspensio, vt pœna, non verò quando imponitur per Decretum Provisionale: loquitur etiam de suspensione facta, pendente accusatione, non de illa, quæ decernitur, inquisitione pendente; in qua secundùm textum expressum *in cap. Licèt Heli, 31. de simonia*, de quo num. 190. priùs debet inquiri, recipi testes, & confessio Rei; & constando de substantia criminis, potest suspendi inquisitus ab officio, & administratione: inquisitio enim generalis, nec specialis non æquivalet accusationi, quovsque confessio Rei recipiatur, & copia criminum consignetur reo, vt infrà num 248. & 249.

244 Et comprobatur, quia differentia inter Decretum interlocutorium suspensionis, & Decretum diffinitivum in eo versatur, quod quando proceditur per viam interlocutoriæ, durat suspensio vsque ad exitum causæ; quando verò proceditur diffinitivè, & in pœnam, est perpetua. In primo casu est modici præiudicij, & non appellatur ab ea; in secundò appellatio suspendit effectū suspensionis Azevedo *lib. 3. tit. 7. l. 14. num. 1. & 4.* Nec loquitur

tur Capiblancus de Officiali accusato de crimine, pro quo imposita sit pœna privationis ipso iure.

245 Vico *ad leges Sardiniæ, lib. 1. tit. 8. cap. 5. per tot. præcipuè, num. 7.* vbi proposita quæstione, an Officialis debeat suspendi pendente inquisitione, vel accusatione? distinguit, an crimen sit commissum extra officium, vel in officio. In primò casu resolvit num. 8. quòd Officialis pendente accusatione retinet officium, & administrationem; in secundò autem hæc ait num 9. *Aut verò accusatur de crimine commisso in officio, & tunc licèt accusatione pendente retineat officium, administratio tamen ei interdicitur.* Prosequitur vlteriùs examinando, in quibus casibus locum habeat administrationis interdictio? Et num. 10. asserit, provt ibi: *Hoc autem quod dicitur de administratione interdicenda officiali accusato, lite pendente, intelligendum est, procedere, quando accusatio est talis quòd ea probata removendus esset ab officio; aliàs verò secùs.* Et num. 11. ibi: *Vel quando ex processu iam cœpto constaret de mala officij administratione, & non aliter; non enim ex sola accusatione, quæ probata sufficeret ad priuationem officij, venit accusatus ab illius administratione suspendendus, si modo accusatio non fuerit probatione aliqua iustificata.*

246 Deindè, quia suspensio inquisitione pendente, receptis testibus, & confessione Rei, est introducta à iure. *Cap. Accusatum 4. de simonia; cap. Per vestras, eodem tit. cap. Qualiter, & quando. 24. de accusat. cap. Licèt Heli, de simonia, cap. 9. quia ea, 3. quæst. 2.* In causis verò pendentibus per accusationem expressè est à iure reprobata. *Cap. Nonnè 1. 8 quæst.* ibi: *Lex Ecclesiastica Pontificem ab alijs accusatum, priusquam sub luce obiecta constiterint, exigit, non relinqui. Cap. Sæculares, 33. quæst. 2. cap. Multorum, 35 quæst. 6.* Fagnanus *ad text. in cap Qualiter, & quando, de accusat. num. 74.* ibi: *Quimò in inquisitione procedendo ditur quandoque ad remotionem, dum negotium agitur, probata tamen suspensione dilapidationis; in alijs iudicijs secùs.* Expressè Innocent. *in cap. Accusatum 4. de simonia,* vbi quod accusatio non sufficit ad suspensionem; suspendendum autem esse inquisitum post semiplenam probationem, & confessionem Rei. Vndè nihil mirum, quod pendente inquisitione, deveniri possit ad suspensionem post informationem, & Rei confessionem absque citatione Rei; non autem accusatione pendente, cùm in primo casu iure permittente procedatur, in secùdò, iure resistente. Quare in isto necessaria est citatio ad suspensionem, cùm devenitur ad eam post probationes factas, & dato termino defensionis.

247 Tùm finaliter; quia cùm Rodriguez, Fr. Iosephus à Sancta Maria, & Sanctorus in locis suprà relatis *num 228. 229.* vsque ad 232. praxim Ordinis nostri testentur, remanet probata consuetudo, cùm standum sit Doctoribus attestantibus de ea. Gratian. *discept at. forens. cap. 479. sub num 24. & cap. 973. num. 43.* Altogradus *cons. 18. num. 24. lib. 1. & cons. 14. vsque ad num. 16. lib. 2.* Franciscus de Angelis *de confes. lib. 2. quæst. 46. per totum.* Francès *de competentijs, quæst. 74. num. 10.*

248 Præsertim cùm sint plures DD. & dicto duorum testium versatorum in Curia probetur consuetudo ad tradita per Gratianum *discept. 318. num. 16. & 17.* Rota *decis. 74. num. 4. inter recolectas à Farinacio part. 1. recentior.*

249 Quæ consuetudo, & praxis est notoria in Religione, quotidièque suspenduntur Vocales ex causis prædictis, & sufficit allegare notorietatem absque alia probatione, vt Iudex debeat se informare extraiudicialiter. Pacificus *de Saluian. interdict. inspect. 1. cap. 7. num. 89. & 90.* Ciarlino *controu 92. num. 34.*

250 Et quidquid sit de veritate dictarum opinionum, certissimum est, quòd in casu nostro potuit interdici administratio vocis Patri Lopez; quia secundum leges Hispaniæ Officialis inquisitus de mala officij administratione, vel de delicto cõmisso in officio, pro quo pœna privationis imposita sit, debet suspendi ab administratione, & est textus expressus *in l 14 lib. 3. tit. 7. Recopil.* Azeved *in dict. l.* quin appellatio suspendat effectum suspensionis *per l. 12. lib. 3. tit. 5. Recopil.* vbi Aceved. *num 3 & 4.* Et cum nulla lex, vel Statutum Ordinis repugnet, licitum fuit Rmo P. Commissario Generali recurrere ad leges Regni, non quia lex hoc dicit, sed quia ratio, qua lex vtitur, sic vult. Rodriguez *tom. 2 quæst. 22. art. 3. vers. Iure autem Pontificio,* & plures alij relati: & concludit his verbis: *Ad ipsas leges Regni etiam recurrere oportet, earum rationem, & mentem legi naturali conformem causis Regularium applicantes.* Et non solum ad leges Regni, imò & istis deficientibus, debent Iudices recurrere ad leges vicinæ Provinciæ. D. Franciscus Leo *decis. Valentia 4 a num 2 & sequentibus.* Et cùm lex Regni Hispaniæ specialiter præcipiat suspensionem Officialis inquisiti, & sit conformis praxi Ordinis, necessario debuit interdici administratio Patri Ferdinando Lopez, vt docet Rodriguez *tom. 2. quæst. 22. art. 3. vers. Debent etiam Prælati Regulares iudicare secundùm consuetudines legitimas.*

251 Et confirmatur primo, quia si pendente inquisitione speciali ad suspendendum reum, non posset deveniri per viam Decreti Provisionalis, reo non citato, esset deterioris conditionis causa inquisitionis, quam causa accusationis; siquidem in accusatione, vel denunciatione exprimitur delictum, & reus; quia proponitur delictum certum, & accusatur persona determinata, antequàm testes recipiantur. Hostiens. *in Summa, Rubr. de accusatiob. §. Quid sit, num. 1.* Ameno *in praxi, tit. 8. accusatio §. 1. num. 1. & 2.*

252 In inquisitione autem generali licèt certum sit delictum, incerta est persona; vndè diffamatione probata, deveniri debet ad inquisitionem specialem. Ameno *in Prax. tit. 11. à num. 1. & 2.* Vnde & mixta inquisitio dicitur, quæ est specialis quoad delicta, & generalis quoad personas; vt cùm scitur à Iudice crimen, ignoratur autem auctor. Ex eo-

dem Ameno sup. cit. In accusatione, vel denunciatione non dicitur incœpta actio iudicialis quousque iuridicè acceptetur à Iudice. Alexander *cons.74. num.9. lib.1.* & reus citetur. Abbas *in cap. 1. num.5. vers. Et ex his, de colluss. detegenda.* Ameno *tit.8. verb. Accusatio, num.33.* In inquisitione autem tunc dicitur incœptus actus iudicialis, quando est recepta informatio, confessio Rei, & data est illi copia criminum. Bordono *tom.5 praxis crimin. cap.2. num.24.*

253 Cùm autem certum sit, posse procedi ad suspensionem Officialis pendente accusatione, quæ dicitur pendere, cùm reus est citatus, & lis est contestata; Idem dicendum quando proceditur per inquisitionem, maximè, cùm iuxta Canonicas Sanctiones, vt possit deveniri ad suspensionem quando proceditur per viam inquisitionis, priùs debent recipi testes, & confessio Rei; secundùm text. *in cap. Licèt Heli, 31. de simonia, de quo num.184.* & faciliùs suspenditur inquisitus quàm accusatus. Innocent. *in cap. Accusatum, de simonia*, vbi dicit, dictam Decretalem loqui de inquisito, & quòd quando proceditur per inquisitionem pendente iudicio devenitur ad suspensionem, secùs pendente accusatione.

254 Et cùm nec *in cap. Quia ea 9. 3. quæst. 1. nec in cap. Accusatum 4. de simonia, cap. Qualiter, & quando, de accus. cap. Licèt Heli, 31. de simonia*, nec *in cap. 1. de indicij*, ad suspensionem requiratur citatio; imò absque citatione speciali in dictis Canonibus deventum fuit ad suspensionem, cùm procederetur per inquisitionem, recepta informatione, & Rei confessione; necessariò est dicendum, non requiri citationem ad suspensionem decernendam per viam Decreti Provisionalis, pendente inquisitione, etiamsi Decretum suspensionis post testes receptos, & confesso reo interponatur; imò necessariò debet informatio, & confessio Rei præcedere ex dictis iuribus.

255 Confirmatur secundò; quia licèt in terminis Prælatorum Regularium, & præsertim intra Ordinem nostrum, daretur opinionum contrarietas circa suspensionem Prælatorum, inquisitione pendente, quando constat de crimine pro quo est imposita pœna suspensionis ipso iure; in occurrenti casu debuit deveniri ad suspensionem, inquisitione, pendente; aliter enim cùm lites longam habeant durationem, adeò vt verisimiliter priùs terminet tempus Prælati Superioris, remaneret illusoria dispositio Decreti SS. D. Vrbani VIII. si pendente inquisitione contra promoventem pœnitentiatum à Sancto Officio in pœnas graves, non posset suspendi à voce activa; vt ratiocinatur Eminentissimus de Luca, loquendo de suspensione Tutoris, pendente iudicio suspicionũ, *tom. 7. de Tutore, & Curatore, discurs.3. num.3.* Siquidem si iudicialis ordo observandus esset, promoventes pœnitentiari à Sancto Officio difficilimè à voce activa excluderentur contra mentem, & verba Decreti eos privantis ipso facto.

256 Deveniens ad secundam partem, dicendum est, Patrem Lopez iustissimè fuisse declaratum, esse promoventẽ Patris Francès, incursumque in pœnas contentas in dicto Decreto Vrbani VIII. quia ex dictis à n. 191. & 192. remanet probatum, dictum Patrem Lopez semper curasse, Patrem Francès evehi ad Officia Ordinis, eum proponendo, auxiliando, & defendendo, & pro eo suffragando; quod & ex ipsius confessione iudiciali resultat. Vnde & probatio concludens ad pœnam indicendam, maximè cùm delictum sit occultum, & difficilis probationis, in quibus licet recedere à iuris regulis. Innocentius *in cap. 2. de Constitutionib.* Menochius *de arbitrarijs, lib.1. casu 84. num. 7.* Andræolus *contr.8. num.5.* Quesada Pilo *contr. 30. num.43.* Conciolo *resolut. criminal. verb. Delictum, resol.11. num.1.* Caldero *decis. Catalonia, tom.1. decis.41. num.3.*

257 Dicuntur autem occulta, & probationis difficilis, quando occultè fiunt. Quesada Pilo *contr. 30. num.42.* vel quando testes actu, nec habitu intervenire possunt. Giurba *cons.42. num. 16. & cons 87. num.11.* Maioran *in Opo. praxi criminal. lib.2. cap.8. num.50.* Caldero *decis.41. num.2. in fine.*

258 Vnde cùm suffragia in electionibus secretò debeant dari, & dentur. *Cap. Quia propter, de elect.* & ibi DD. meritò delictum de quo in præsenti, cùm in suffragando consistat, debet enumerari inter occulta, & patrata cum difficultate probationis moralis, & cum impossibilitate probationis physicæ. Conciolo *resol. criminal. verb. Indicium ad torturam, resol.8.* Quesada Pilo *controu 30 num.42.*

259 Supposito facto, convincitur, Patrem Lopez fuisse Patris Francès promoventem; quia posita probatione ex Actis deducta, resultat (si non probatio physica) talis, quæ convincit animum ad credendum, dictum Patrem Lopez fuisse promoventem; resultantque indubitata indicia; nam tunc dicuntur talia, quando ità sunt clara, vt contrarium credi non possit. Farinacius *in praxi, quæst.86. num.67.* Petrus Caball. *casu 288. num.10.* Antonius Merenda *lib.5. cap.15. num.3.* Rovito *decis.63.* Vel quando animus Iudicis violatur, vt necessitetur ad ità credendum. Guacinus *de defens. reor. cap.15. defens.33. num.1.* etsi possibile sit, rem aliter se habere. Giurba *cons.71. num.3.* Vermigiol *cons. 381. & 396.*

260 Sufficitque ad indicium indubitatum, quòd inducat moralem certitudinem, licèt non methaphysicam. Carolus Antonius de Rosa *in praxi criminal. cap.1. à num.31.* Ciarlin *controu. 12. num.10. lib.1.* Conciolo *resolut. crimin. verb. Indicium, resol.2. num.3.* Caldero *decis.41. à n.4.* maximè in occultis, vbi levia censentur gravissima. *Cap. Pro humanis, de homicidio in 6.* Rosa *in praxi criminal. cap.8. num.19.* Caldero *vbi sup. num.4. in initio.*

261 Incredibile est enim, Patrem Lopez in suam protectionem habuisse dictum Patrem Francès, pro viribus procurando evehi ad officia Ordinis, ipsum proponendo in scriptis, &

post

post electionem defensando, & quòd suffragium affirmativum non præberet: non enim consonum est rationi, quòd alijs persuaderet electionem, & ipse ad illam, suffragando, non concurreret.

262 Et in casu adest probatio non solùm indicialis, sed concludens ex quatuor testibus, qui deponunt, ipsos denegasse suffragium Patri Francès ob eius ineligibilitatem: vndè asserunt, moraliter esse certos, quòd Pater Lopez pro illo suffragatus est; quia demptis quatuor ex novem, remanent tantùm quinque, inter quos Pater Lopez numeratur: & si dictamen Patris Lopez fuisset negativum, nõ habuisset electionem, quod comprobant optimis rationibus, & faciunt plenam probationem, non obstante singularitate; quia in occultis testes singulares probant. Fontanel *de pactis, tom. 2. clausul. 7. Glos. 2. part. 5 num. 81*. Fragos *de Regim. Reipubl. part. 1. disp. 13. num. 88. vers. Sed queres*. Escobar *de nobilit. prob. part. 1. quæst. 6. § 5. n. 89*. Castillo *decis. 160*. Larrea *allegat. 48. n. 18*. Caldero *dict. decis 41. n. 30*. & si plures sunt testes singulares, coniunguntur ad faciẽdum indicium: Farinac *quæst. 37. num. 34*. Capicio Latr *decis. 161. n. 26* Conciolo *resol. crimin. verb. Indicium, resul. 5 n 7* maximè in occultis, & difficilis probationis, vbi sufficit quòd sint plura indicia dubitata, ex quibus resultet vnum indicium Indubitatum, & adsino aliæ probationes, quia iunguntur ad faciendum vnum indicium indubitatum, si tendant ad eumdem finem Farinac *quæst. 36. num 41. & quæst. 86. n. 93*. Cortiada *decis 93 n. 36*. Caldero *decis. 8 à n. 45. & decis. 41. num 35*. & testes inhabiles admittuntur. Farinac. *in prax. quæst. 43 n. 68 & 69* sed & concludentissima; cùm iudicialiter confessus fuit Pater Lopez, se dictamen affirmativum præbuisse Patri Francès in prædictis electionibus, & confessio superat omnem probationem: vndè illud Evangelij, *Ex ore tuo te iudico*. Giurb *cons. 16. n. 1*. Bondeni *de iure controu. coll. 12. num. 5*. Rota *decis. 309 num 14 part. 10. & decis. 28. n. 3. part 17*. Maioran. *in Opo-prax. crimin. lib. 2. cap. 4 n. 76*. Guido *de confes. part. 3. cap. 1. num 47*.

263 Nec obstat, quod aliqui ex testibus inverisimilia videantur deponere, dum dicunt, Patrem Lopez semper asseruisse, Patrem Francès non fuisse iudicialiter condemnatũ à Sancto Officio; quia si ita fuisset, ad quid liber R. P. Custodio huius Provinciæ exhibitus fuisset, in quo disserebatur, an pœnæ inflictæ per sententiam Inquisitorum, dempta abiuratione de vehementi, vel de levi, inducerent ineligibilitatem? Quia si suppositum fuit, pœnas non fuisse inflictas per sententiam, certo certius erat, pœnitentias esse salutares.

264 Quia respondetur, obiectum non concludere, quia testes concorditer asserunt, fuisse vocatam fuisse disputationem à discordia Vocalium; alij enim asserebant, fuisse iudicialiter sententiatum, negante Patre Lopez; & vt dubio satisfaceret, Pater Bernabeu dixit, se legisse libellum scriptum à quodam Religioso Provinciæ Carthaginensis, qui punctum discutiebat, & quòd adducto, & viso libro, Rmus Generalis dixit, nihil posse decidi, quia factum erat dubium, & Pater Francès ab Officio excluderetur, si à Sancto Officio fuisset iudicialiter sententiatus; sin autem contrarium, nihil proponi, quare à dicto officio excludi deberet: Vnde facillimo negotio ad verisimilia reducuntur; quia non repugnat verisimilitudini hoc ita accidisse; imò verisimile est, quòd contendente R. P. Lopez, Patrem Francès non fuisse sententiatum publicè, alijs affirmantibus; liber, vbi casus examinatur, visu dignum videretur, &, eo lecto, nihil quæstionis dignum reperiretur; prout nos etiam ipsum legimus, sed eodem iudicio contenti sumus; ita vt nec satisfactione dignum reperimus.

265 Ad relevandum Patrem Lopez ab incursu pœnarum Decreti, adducitur doctrina Bordoni *tom 1 de Sacro Tribun cap. 27. num 41. & 43* Vbi asserit, Regulares pœnitentiatos à Sancto Officio non esse inhabiles, si non abiurant de vehementi, vel saltèm de levi. Vnde hac probabilitate ductus Pater Lopez potuit pro Patre Francès suffragari sine incursu in pœnas dicti Decreti; opinio enim probabilis sicut excusat à culpa, etiam excusat à pœna

266 Sed respondetur primò, dictam sententiam Bordoni non esse opinionem probabilem, vt probatum est à n 145 vsque ad 163. Secundò, quia non est nostrum iudicare de probabilitate restrictiva; & in simili casu Fagnanus *in cap. Super eo, de bigamis*: vbi quod Episcopus ordinans bigamum, eique Beneficium conferens venit suspendendus per annum, & promotus est Beneficio privandus non obstante probabilitate narrata ab ipso Fagnano *dict. cap. Super eo, num. 45 & 46*

267 Respectu obligationis impositæ per Gregorium XV. & Alexandrum VII denunciandi Confessarios solicitantes, variæ sunt Doctorum opiniones: & licèt multi dicant ante denunciationem præmittendam esse correctionem fraternam, qua opinione non obstante, si Confessarius illam doceret pœnitentem, sine dubio, & merito puniretur, vt puniuntur quotidie à Sancto Inquisitionis Officio. Bordon *de S Tribunal cap 23 num 85*.

268 Denique quia in nostro casu constat, Patrem Lopez habuisse notitiam certam, quod Pater Francès fuit sententiatus iuridicè à S Officio; quo non obstante semper affirmavit, non fuisse sententiatum, solùmque ei impositas fuisse pœnitentias salutares; ex quo arguitur dolus: Tum, quia fecit actum à lege prohibitum. Farinac. *in prax. quæst. 89. à num. 81*. Tum, quia ex mendacio arguitur dolus. *L. siquis affirmaverit, §. 1, l. quod venditur, l. eleganter, §. Idem*. Pomponius *ff de dolo*. Farinac. *dict. quæst. 89. num. 104*. Vltimò arguitur dolus; quia sufficit, occultasse veritatem ad sustinendam electionem Patris Francès. Farinac. *sup num 3* Ex quo, non ex probabilitate, sed ex dolo suffragatus fuit in electionibus Patr. Francès.

Nec

269 Nec obstat, si dicatur, quòd quamvis Pater Ferdinandus Lopez dederit suum votum electivum Patri Francès pro illius Guardianatu, & Diffinitoriatu, tamen non incurrit pœnas Decreti Vrbani VIII. cum illæ sint latæ contra promoventes, & non contra eligentes; nam respondetur, quòd hoc verbum *Promoueo*, habet vniversalem significationem; aliquando enim significat receptionem Sacrorum Ordinum. Trident. *sess.* 7. *cap.* 11. *&* 12. aliquando significat confirmationem; *cap. Cum incunctis, de elect.* Aliquando nec pro electione, nec pro confirmatione, sed solùm pro consecratione Episcopi sumitur. *Cap. Ante, de rescriptis*, ibi: *Ante promotionem tuam, cùm non esses adhuc in Episcopum consecratus.*

270 Promotio enim, & provisio pro eodem vsurpantur. Colligitur *ex cap.* 8. *Si pro Clericis, de Præb. & Dignitat.* ibi: *Poteris de Beneficijs curam animarum habentibus licitè prouidere* Vbi Glos. hæc verba habet: *Benè probat ista littera, quòd promouendus ad curam, si non est in Sacris, defectum patitur.* Cùm ergo provisionis appellatione (vt dixit Barbosa *Appellatiuo* 228.) veniant omnes modi per quos Ecclesia providetur (scilicèt nominatio, postulatio, electio, præsentatio, & institutio) omnes isti modi providendi comprehenduntur etiam sub promotione: cùm idem sit *promotio*, ac *prouisio*.

271 Etiam æquivocantur *promotio, assumptio, & electio*, & pro eodem accipiuntur. Conc. Trid. loquendo de requisitis necessarijs, vt quis possit eligi ad Episcopatum *sess.* 22. *de reformat. cap.* 2. hæc habet verba: *Oportet etiam assumendum ad Episcopatum in Sacro Ordine, anteà saltem per sex mensium spatium, constitutum fuisse.* Et Barbosa, ibi, hæc habet: *Oportet promouendum ad Episcopatum, &c.* Et Passerinus *de elect. cap.* 25. *n.* 251. allegans hunc textum Conc. Trid. verbũ *assumendum*, exponit pro *eligendum*, ibi: *Hoc vero explicans Concil. Trid. voluit, eligendum in Episcopum per sex menses anteà esse in Sacro Ordine constitutũ.*

272 Ob hanc rationem Passerinus, aliquando definit electionem, assignando pro genere promotionem. *Vt cap.* 1. *de elect. num.* 25, ibi: *Electio est promotio alicuius ad Dignitatem, vel Beneficium aliquod Ecclesiasticum, quæ ideò electio dicitur, quia qui promouetur, præ alijs ad Beneficium habendum assumitur.* Aliquando electioni dat pro genere nomen *Prouisionis*: Eodem cap. 1. *num.* 31. ibi: *Electio est prouisio, sed ex parte subditorum se tenens.*

273 Multoties enim in Sacris Sanctionibus, & Decretis invenitur, quòd promotio pro electione etiam intelligitur. Colligitur primò ex Concil. Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. Vbi enumerans qualitates eligendorum ad dignitates quibus animarum cura demandata est, hæc habet verb, *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque promoueatur, quibus animarum cura subest; nisi qui saltem vigesimumquintum suæ ætatis annum attigerit, & in Clericalibus ordinibus versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendatur.*

274 Si ergo illud appellativum *Promoueatur* non significaret electionem, posset quis eligi ad dignitatem, cui animarum cura commendata est, antequam attigisset 25. suæ ætatis annum, absque eo quod in Clericali Ordine esset versatus, & sine scientia sufficienti ad suum munus exequendum, quòd est contra verba, & mentem Concilij Trid. cùm electio illius sine his qualitatibus nulla sit. Ergo dicendum est, quod appellativum *Promoueatur* non solùm significat confirmationem, aut collationem; sed etiam electionem, institutionem, &c. Quod colligitur ex eodem Concil. Trid. *sess.* 22. *cap* 4. *de reformat.* ibi: *Nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi his, qui iam ætatem, & litteras habilitatis integræ habere dignoscantur; aliter irrita sit prouisio.* Cùm autem hoc appellativum *Prouisio*, vt cum Barbosa *num.* 239. dictum manet, significet omnem modum, per quem Ecclesia providetur, scilicèt nominatio, postulatio, electio, &c. dicendum est, quod eadem comprehenduntur in Sacro Concilio Trid. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 12. sub illo appellativo *Promoueatur*.

275 Idem Concilium Trid. *dict. sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat.* loquendo de electoribus, seu præsentatoribus ad Episcopatum, hæc habet verba, ibi: *Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius quacumque ratione à Sede Apostolica habeant, &c.* Ad confirmationem Episcoporum nullus habet ius nisi Summus Pontifex: ergo illud ius, quod supponit Concilium, vel in Capitulis, vel in Regibus, *ad promotionem*, non potest intelligi, nisi de electione, vel nominatione Episcoporum.

276 Ex Bulla Gregorij XIII. quæ continetur in Bullario, *Constit.* 16. §. 8. *&* 9. relata à Passerino *de elect. cap.* 5. *num.* 4. idem colligitur; habet enim inter alia hæc verba, ibi: *Et in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis latæ sententiæ pœna omnibus dictæ Congregationis Monachis, qui pro tempore regimini dictæ Congregationis deputati erunt, præcipientes, districtèque mandantes, nè aliquis precibus, litteris, vel fauoribus Principum, vel Prælatorum, aut aliorum extra dictum gremium, existentium adductis, ad cuiusvis generis Prælaturas, dignitates, officia, administrationes, & gradus promouere præsumant; imò promouendorum meritis, & virtutibus tantùm inspectis, quòd Dei causam agant memores sint, quo magis puro, & syncero corde, nulla priuata, aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant. Decernentes, electiones, & promotiones, &c.*

277 In Constitutionibus nostri Ordinis etiam accipitur promotio pro electione, vel institutione Guardianorum, *ex cap.* 5. *Constit.* §. 36 *de Capitulis Provincialibus, num.* 7. *& seqq.* vbi statuendo modum pro electione Guardianorum a Diffinitorio facienda, hæc habet verba: *Antequàm Patres ingrediantur Diffinitorium, fiat inter ipsos discussio super meritis, & qualitatibus promouendorum*; sub quo appellativo *promouendorum* veniunt illi, qui eligendi sunt à Patribus de Diffinitorio, cùm hæc discussio facienda sit ante electionem, & per consequens pro iustifica-

catione eiusdem electionis; inquirere enim merita,& qualitates pro confirmatione,est actus sequutus ad electionem: ergò,si illa discussio meritorum,& qualitatum facienda est ante electionem, illud appellativum *promouendorum,* eamdem significationem habebit; quam habet hæc vox *eligendorum*: & per consequens, secundùm hoc Statutum, *promotio* intelligitur pro *electione.*

278 Idem habetur *ex cap.* 8 *Statutorum Generalium Ordinis*, §. 56. *vers. Et quamvis, circa fin.* vbi,loquendo de Visitatoribus Provinciarum, hæc habet: *Ad eos* (Visitatores) *tamen spectat, & ab eisdem diligenter curandum est, nè ad eiusmodi Officia Ordinis promoueantur, aut promoueri possint, quos ipsi indignos legitimè iudicauerint*: vbi illud, *promoueantur, aut promoueri possint*, non intelligitur de confirmatione,sed de electione; assignando enim Pater Ameno modum quem debent habere Visitatores, nè indigni eligantur, in sua Practica Criminal. *tit.* 12. *quest.* 5. *num.* 30. hæc scribit: *Debet curare nè indigni promoueantur; persuadendo Electoribus, vt concurrant in alium, qui sibi magis idoneus videtur* Et infrà: *Hic est ergo sensus Statutorum, quæ iniungunt Visitatoribus, vt curent, nè indigni eligantur, & modis quo possunt illos excludere, denegando nempè eis votum suum, & persuadendo Electoribus, nè tales eligant.* Ergo secundùm intelligentiam Statutorum idem est dicere, *quòd indigni non promoveantur*, ac affirmare, quòd indigni non eligantur: & per consequens Electores sunt promoventes, & promoventes intelliguntur pro Electoribus.

279 Idem ex Doctoribus habetur. Passerinus *de elect. cap.* 29 *num.* 29. loquendo de electione indigni, hæc habet verba: *Et sine dubio indifferenter omnes, siue Electores, siue Patroni præsentantes, siue Superiores conferentes, quicumque illi sint, peccant grauiter, etiam Papa, si indignum promoueant*; ergo sicut Patroni præsentantes, & Superiores, cōferentes, promovent; ita Electores, eligentes Et num. 32. idem Passerinus scribit hæc: *Sed tertiò, & hoc asseritur esse contra iustitiam commutatiuam, & ex consequenti Electores, seu quicumque promouentes indignum, tenentur ad restitutionem.* Et eodem cap. 29. num. 64. ibi: *Dicitur igitur, quòd electio, seu præsentatio, seu quæcumque alia promotio eius, qui est indignus, à iure simpliciter est reprobata, nec confirmanda.* Si neque electio, nec quæcumque alia promotio indigni est confirmanda; promotio non erit confirmatio, sed vel electio, vel præsentatio; quia quod confirmatur, vel infirmatur, non est confirmatio, sed electio.

280 Sigismundus de Bononia *de elect. p.* 3. *cap.* 4. *dub.* 114. *num.* 14. loquendo de requisitis ex parte eligibilium ad Prælaturas Cōventuales, ita scribit, ibi: *Vltra quæ tamen etiam placet hic specialitèr advertere, inspiciendam esse in promouendis ad Prælaturas Conuentuales, nedum ætatem, & doctrinam, sed mores, & prudentiam; ita vt meritò ille semper præferendus sit, qui alterum antecellit integritate vitæ, prudentia, aliisque virtutibus.* Ex quo habetur, quòd nomine promotionis intelligitur electio.

281 In Decreto autem SS. D. N. Vrbani VIII. illa verba: *Promoueri nullatenùs possint, aliàs promotio qualibet nulla sit*; necessariò intelligenda sunt, etiam de electionibus, & de Electoribus. Ratio est, quia post expletum tempus pœnitentiæ statuit Decretum, quòd pœnitentiati in Sancto Officio ad Officia Ordinis promoveri nullatenùs possint, hos etiam post expletum tempus pœnitentiæ fieri pœnitentiati inhabiles ad Officia Ordinis. Ergo in illis verbis, *promoueri nullatenus possint*, statuitur, quòd pœnitentiati in Sancto Officio, nullo modo possint elegi ad Officia Ordinis.

282 Deindè, quia si illa verba Decreti, *promoueri nullatenus possint, aliàs promotio qualibet nulla sit*: loquerentur solùm de confirmatione, electio pœnitentiati in Sancto Officio, post impletam pœnitentiam, non esset nulla ex vi huius Decreti, quod falsissimum est: & ratio est; quia ex vi Decreti illud solùm est nullum, quod in Decreto exprimitur, & cùm in Decreto post adimpletam pœnitentiam solùm annulletur promotio, *aliàs promotio qualibet nulla sit*: sequitur necessariò, vel quòd nomine promotionis intelligitur electio, vel quòd, si nomine promotionis solùm intelligatur confirmatio, electio facta de pœnitentiato erit valida; & consequenter etiam confirmatio illius, cùm nulla detur confirmatio ipso iure nulla electionis ipso iure validæ.

283 Et confirmatur; quia vt dicit Glos. *ad cap.* 44. *de elect. in* 6 *Verbum*, provisio; *inducit totalem prouisionem Ecclesiæ, & sic etiam electionem, & confirmationem.* Cōcessa enim alicui Ecclesiæ provisione aliqua dignitatis, conceditur electio, simul & confirmatio; & illi denegata provisione, non solùm denegatur confirmatio, sed etiam electio. Moez *ad cap. Si eo tempore* 45. *de elect. in* 6. *num.* 5. ibi: *Verbum, prouisio, totalem Ecclesiæ prouisionem ostendit, sicque electionem, & confirmationem comprehendit: Igitur prohibita hic, & reseruata per irritans Ecclesiæ Decretum Ecclesiæ Cathedrali prouisione, & electio non minùs indebitè debet conferi.* Ergo cùm promotio, & provisio eādem habeant significationem ex num. 270. si per Decretum Vrbani VIII. promotio pœnitentiati in Sancto Officio est nulla, & irritas non solùm comprehenditur confirmatio, sed etiam electio; & per consequens illa alia verba Decreti, *& promouentes ipsi*, non possunt referri tantùm ad confirmantes, sed etiam ad eligentes.

284 In casu nostro nulla potest esse difficultas, adhuc casu quo iuxta verba Decreti in illa clausula, *& promouentes ipsi*, non intelligerentur nisi confirmatores: & ratio est; quia Guardiani in Ordine Minorum eliguntur à Diffinitorio per veram institutionem, quæ simul est electio, & confirmatio. Donatus *tom.* 2. *tract.* 9. *quest.* 5. *num* 2. loquendo de Prioribus à Diffinitorio institutis hæc habet: *Priores sic instituti censentur electi, & confirmati.*

285 Passerinus *de elect. cap. 9. num. 53.* ibi: *Sed in hoc idem posset videri, vbi plures sunt Electores; sicut quando huiusmodi Prælati, Locales eliguntur in Capitulo à Diffinitoribus; sed nec hoc est asserendum; quia hæc non est electio propriè, sed institutio: unde huiusmodi electio non indiget confirmatione, & dat electo ius in re; & idem est Capitulum, seu Diffinitorium eligere, & instituere tales Prælatos.*

286 Cùm autem ex Processu constet, Patrem Fr. Ferdinandum Lopez suffragatum fuisse in electionibus Guardianatus Patris Fr. Felicis Francès, quæ officia Guardianatus in nostro Ordine aliter quàm per electionem instituuntur, ex Bulla Sixti IV. incipit, *Regiminis:* Dat. Romæ pridie Kalendas Septembris 1474. & habetur in Bullario Rodriguez inter Bullas Sixti IV. *num.* 14. & in Bullario Laertij, *tom.* 1. in Sixt. IV. *num.* 6. & in Marimagno Lezanæ, *pag.* 147. dicendum est, ipsum Patrem Ferdinandum fuisse vnum ex promoventibus Patrem Francès; quia eligendo illum in Guardianum, instituit illum, hoc est, elegit, & confirmavit. Vnde meritò Rmus P. Commissarius Generalis declaravit, dictum Patrem Ferdinandum Lopez incidisse in pœnas Decreti Vrb. VIII. tanquam vnum promoventem Patrem Fr. Felicem Francès; cùm constet, dedisse illi suffragium pro electione, seu institutione Guardianiæ; quæ electio non indiget confirmatione Superioris: ex Gregorio XIII. *Cùm illius vicem,* relat. à Sanctoro super Statuta Ordinis, *cap.* 8. *Sent.* 14. *pag.* 431.

DUBIUM QUINTUM.

An electiones celebratæ die 27. Maij 1698. non citatis, nec vocatis prædictis Patribus Ferdinando Lopez, & Felice Francès, imò exclusis (vt asseritur) subiaceant nullitati, aut veniant annullandæ?

287 Contra validitatem Congregationis, & electionum in illa factarum faciunt: Primò, quia R. P. Fr. Ioannes Rodriguez habuit in illa vocem; & cùm esset extraneus, electiones factæ cum illius asistentia, vel dicendæ sunt nullæ, vel veniunt annullandæ. Secundo, quia dies asignatus pro Congregatione, qui erat dies 19. Aprilis 1698. non fuit dies, in quo Congregatio celebrata est; sed fuit suspensa, & translata; & posteà convocatum ad diem 27. eiusdem mensis. Tertiò, quia licèt Pater Francès fuerit diffinitivè per sententiam declaratoriam declaratus incursus in pœnas inhabilitatis ad Officia Ordinis, iuxta Decretum Vrbani VIII. vtpotè iuridicè pœnitentiatus à Sancto Officio Inquisitionis; ab hac tamen sententia appellavit, protestatusque fuit de nullitate electionum. Et quartò, quia à Decreto Provisionali suspensionis à voce activa, lato contra R. Patrem Lopez, appellavit dictus Pater, & similiter protestationem fecit de nullitate Congregationis, & omnium in ea gestorum sine sua asistentia, & suffragio.

288 Hæc nullitas tertia, & quarta probari potest; nam electio, in qua aliqui, qui ius habebant, citati nõ sunt, cassanda, & annullanda est; etiã si vnus solus contẽptus, dummodo de contemptu agatur, & probetur, & non aliter. *Cap. Quod sicut, de elect. cap. Bone 2.* vbi Abbas *num.* 4. *de elect.* Federicus de Senis *conf.* 227, *& conf.* 14. Oldradus *conf.* 70. Lancelotus *in Institutiones Canonic. tit. de elect.* §. *Nam cum Doctor. in cap. In Genesi. & cap. Cùm inter, de elect* Laborius *de elect. Canonic. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. In electione enim præsentia omnium Electorum est necessaria, ad omnes enim Electores electio pertinet; & per consequens præsentibus omnibus est celebranda. *L. de vnoquoque, ff. de re iudicat. l. nam ita, ff. de adoptione, l. etiam si parte, §. Final, ff. de minori viginti annorum.* Labotius suprà.

289 Cùm autem dicti Patres Lopez, & Francès non fuerint vocati, nec congregati ad diem 27. in quo celebrata fuit Congregatio intermedia, cùm agant de contemptu, cassanda, & annullanda videtur dicta Congregatio intermedia. Deinde, cùm Pater Francès appellaverit à sententia declaratoria, & Pater Lopez à Decreto Provisionali suspensionis, emissaque sit ab illis protestatio de nullitate electionum; videtur dicendum, electiones vel fuisse nullas, vel esse annullandas.

RESOLUTIO DUBIJ.

290 Sed non obstantibus rationibus contra dictam Congregationem, & illius electiones, dicendum est, omnia fuisse valida. Nec obstat, quòd Rdus Pater Rodriguez habuerit vocem in illa Congregatione: cùmque esset extraneus, electiones factæ cum illius asistentia dicendæ sunt nullæ, vel veniunt annullandæ. Primò; quia vt constat ex satisfactione dubij primi à num. 21. Rdus Pater Rodriguez non erat extraneus, cùm intrasset Diffinitorium, subrogando locum R. Patris Fr. Iacobi Victoriæ, iuxta Decretum SS. D. N. Vrbani VIII.

291 Quod adeò certum visum fuit Patribus Diffinitorij, vt omnes illum vocarent, & ad-

admitterent in Diffinitorio à die 22. Ianuarij anni 1697, tanquam habentem verum ius, vt dictum fuit à num. 32. Ex qua possessione capta non potuit expelli à Diffinitorio per Monitorium Rmi Auditoris Cameræ, vt manet dictum à num. 48. imò debuit admitti ad Congregationem, & de facto admissus fuit iuxta præceptum Illmi D. Nuncij, Diffinitorio intimatum, & à maiori parte illius obtemperatum die 27. Aprilis.

292 Secundò; quia quamvis esset revera extraneus, & vt talis admissus, vel etiam si extraneus declararetur, electiones tamen factæ in dicta Congregatione sunt validæ, & nullo modo annullandæ. Et ratio est; quia in electione pro Diffinitoriatu Patris Francès, declarati inhabilis, ad Diffinitoriatum, electus fuit R. Pater Ybañez, qui habuit omnia suffragia Diffinitorij, vno dempto; & Guardiani electi in dicta Congregatione habuerunt etiam omnia suffragia Diffinitorij, vno, vel altero voto dempto; ita vt, secluso voto R. Patris Rodriguez, remanebat maior pars Diffinitorij pro electionibus; in quo casu, licèt concurrat extraneus, electiones nullo modo sunt annullandæ. Passerinus *de elect. cap 3 num. 36.* ibi: *Sed & alia opinio in hoc displicet, quòd ait, electionem esse nullam, cui adest, tanquam Vocalis, extraneus: nam verum quidem est, quòd votum extranei est nullum, & invalidum; sed non propter hoc est nulla, & invalida electio, nisi in casu quo electus in vi voti extranei invalidi, esset à maiori parte nominatus; aliàs verò vbi electus, excluso voto extranei invalido, sit à maiori parte votorum validorum nominatus; electio subsistit; quia vtile per invtile non vitiatur.*

293 Nec prætensa nullitas secunda alicuius est momenti, vt in resolutione dubij 2. à num. 58. manet probatum; quia dies assignatus pro Congregationis celebratione poterat suspendi, & transferri in alium diem ex iusta, & rationabili causa, quam habuit Rmus P. Commissarius Generalis propter Monitorium Rmi Auditoris Cameræ Apostolicæ, & litteras Illmi D. Nuncij. Et quia dictum Statutum prohibens suspensionem Congregationis loquitur de inchoatis, vel incœptis, vt concludit Sanctorus *cap. 8. Statutor. Statut 53. pag. 517. vers. Colligitur tertiò,* ibi: *Quia licèt liberum sit Superiori citare Congregationem, ea tamen incœpta, interitur Provinciæ iniuria, si eius Patres, qui Provinciam repræsentant, delusi remaneant; & cùm se habeat Congregatio per modum vnius, non debet imperfecta relinqui.*

294 Ex quo à contario sensu firmatur ratio, quòd si Cōgregatio non sit incœpta, non manent Patres, qui Provinciam repræsentant, delusi: & cùm Congregatio in hoc casu non relinquatur imperfecta, poterit vtique à Prælatis Generalibus suspendi, & transferri. Hæc est practica communiter recepta, cùm multotiès Congregationes iam congregatæ, & etiam Capitula (quod est magis) translata sint, cùm iam Vocales ingressi fuissent domum Capitularem: de quo extant quàm plura exempla, &c. nullus de hoc conquestus est.

294 Vltimò; quia in dicto Statuto Generali non annullantur electiones: illa enim verba Statuti, ibi: *Scientes, totum hoc irritum fore,* non referuntur ad electiones Congregationum; sed ad mandata, quæ possunt Prælati Generales intimare Diffinitoribus, nè functiones spectantes ad Congregationem exerceant; quia in hoc casu obediendum istis non est; vt vult Sanctorus loco cit. ibi: *Itaque Generalibus auctoritas, adimitur, post quàm ad destinatum Conventum Patres advenerint, aliquid contra Congregationem moliri; adeò vt si ordinent etiam sub pœnis, & censuris, illis obediendum non sit.* Cùm ergo expressè non annullentur electiones, quamvis ob motiva in dub. 2. relata non posset Rmus dictam Congregationem transferre, non erant electiones in illa celebratæ ipso iure nullæ, nec annullandæ.

295 Denegatio appellationis interpositæ à sententia declaratoria inhabilitatis ipso iure Patris Francès propter pœnitentias iuridicè latas contra dictum Patrem in Sancto Inquisitionis Officio, nec annullat, nec annullare potest electiones, & alia acta Congregationis intermediæ. Erat enim notorium, dictum Patrem fuisse pœnitentiatum iuridicè in Sancto Officio, cùm hoc ex ipsiusmet confessione iudiciali haberetur. Proindequè appellatio à sententia declaratoria incursus inhabilitatis frivola fuit, & vt talis reijcienda, nam inhabilitas fuit iniuncta per sententiam Inquisitorum, licèt non fuerit super ea pronunciatum, vt suprà num. 178. Vnde transacta in iudicatum sententia, non erat appellabilis. *L. Causa, de appell. quæst. 12 num. 67.*

296 Est textus expressus de appellatione frivola in nostra Practica criminali, tit. 3. *Canon. circa recursum, §. 11.* ibi: *Frivolæ appellationes omninò reijciantur;* & inter has numerat, ibi: *Primo, cùm appellatur à delicto notorie commisso.* Et infra: *Secundò, cùm appellet reus confessus.* Concordant Canonistæ, Innocentius *in cap. Ex parte* (el primero, *de verborum significatione*) Dominic. *singular. 324.* Decius *in cap. Cum specialis, §. Porrò, de appellat.* Antieno *Pract. crimin. tit. 3. num. 58. vers. Sic ergo,* ibi: *Si enim delictum est notorium Iudici, modo suprà explicato, non conceditur reo, quòd possit appellare: vnde, si appellat, frivola erit appellatio, &, vt talis, reijcienda.*

297 Et quamvis limitetur hæc doctrina, si Iudex condemnando reum, non proponeret, delictum esse notorium, sed simpliciter pronunciet; reum condemnando ob tale crimen, vt pluribus probat Farinacius *quæst. 21 num. 126. argument. cap. Romana, §. Si autem, de appellat. in 6.* Hoc non concurrit in nostro casu cùm Rmus P. Commissarius Generalis declaraverit, Patrem Francès notoriè, & pro notorio sententiatum in Sancto Officio, incursum esse in pœnam inhabilitatis ad Officia Ordinis, iuxta tenorem Decreti Vrbani VIII. quæ propositio notorietatis reddidit sententiam declarato-

totiam inappellabilem, iuxta doctrinam Patris Ameno *dict.tit.*3 §.59.*in fin.*

298 Nulla quoque fuit appellatio interposita per Patrem Francès, cùm non fuisset interposita coram Rmo P. Commissario Generali, sed coram Secretario; & etiam quia fuit interposita ore tenùs, & non in scriptis: Appellatio enim, quæ non interponitur coram Iudice, à quo, est nulla. Franchis *in cap.*1.*Cum sicut, Rom.num.*6 *& cap.vltimo, si iustus, sub num.*17. Cardinal. Alexand. *sub num* 11.*de appellat.* Alij, quos citat, & sequitur Grammatic. *decis.*36.*num.*77. Lancelot. *tract.de attent.ampliat.*15.*num.*2. *&* 3.*tom.*5.*fol.*355. *& limitat.*50. *n.*7. *& num.*184. Scacia *de appellat.quæst.*6 *num.*6.

299 Quod adeò certum est, vt, si non sit interposita appellatio coram Iudice, à quo, non solùm non operatur effectum suspensivum, sed neque devolutivum. Aretinus *in l.*27. *Præses, num.*3.*&* 4 *ff. de re iudicat.* Socinus *cons.*39. *num.*32. *versùs finem, lib.*4. Scacia *dict.quæst.*6. *num.*7. Et ratio est; quia appellatio non ritè interposita, nec devoluit, nec suspendit, neç extinguit pronunciatum. Et ideò primus Iudex, non obstante appellatione nulliter interposita, potest executioni mandare suam sententiam: & appellatio non interposita coram Iudice, à quo, non est ritè interposita: ergo neque operatur effectum suspensivum, neque devolutivum.

300 Nec sufficit interponere appellationem in Tribunali Iudicis sine præsentia ipsius Iudicis. Surdus *cons.*228. Fiscus *sub num.*1. *lib.*2. quia appellatio debet interponi in præsentia Iudicis. Innocètius *in cap. vltimo, si iustus, in fin. de appellat.* Rota *decis.*30. (*alias* 29.), *si appelletur à diffinitiua, sub num.*1. *de appellat. in novis.* Maranta in suo Speculo *part.*6. *act.* 2. *princip.* in verbo, *& quandoque appellatur, num.*133.*fol.*475.

301 Et quamvis de consuetudine appellatio satis dicatur interposita coram Iudice, à quo, etiamsi in Officio Notarij sit data schedula appellationis. Scacia *de appel. dict.quæst.*6.*art.*40. Tamen hæc doctrina non est applicabilis nostro casui: quia in illo Pater Francès, non solùm, nõ appellavit in præsentia Iudicis, quod requirebatur de iure; sed neque appellavit in scriptis in præsentia Secretarij, quod poterat sustineri de consuetudine, si appellatum fuisset per scriptũ: ex quo deducitur alia nullitas dictæ appellationis, cùm non fuisset interposita per Scripturam, sed ore tenùs; appellatio enim debet in scriptis redigi, & sic interponi. Bictis *quæst.*146 *num.*6. Guacinus *defens.*36. *cap.*19. *num.*1. Grafis *tom.*2. *commun. opinion. lib.*7.*tit.*21.*num.*93. Scacia *quæst* 4.*num.*1. Pereyra *de empt.& vendit.cap.*6.*num.*18. Bordonus *tom.*5. *prax. crimin.cap* 89.*num* 43. Et quamvis in Religione non est necesse, quòd appellatio interponatur in scriptis; quia scriptura in appellationibus est de apicibus iuris. Scacia *quæst.*4. *num* 10. *&* 11. Bictis *quæst.*146. *num* 11. tamen hoc locum habet, cùm in præsentia ipsius Iudicis, à quo appellatur, interponatur appellatio, ore tenùs.

302 Cùm autem appellatio interposita per Patrem Francès fuisset ore tenùs, & non in præsentia Rmi P. Commissarij Generalis, sed in præsentia Secretarij Generalis, dicendum est, dictam appellationem fuisse etiam ex hoc capite nulliter interpositam, & per consequens meritò reijciendam.

303 Nec annullat Congregationem, & gesta in illa denegatio appellationis, à suspensione vocis, vel à Decreto Provisionali lato cõtra Patrem Lopez, quia talis appellatio nulliter etiam fuit interposita per dictum Patrem Lopez. Primò, quia interposuit appellationem alternativam, cùm appellasset ad suam Sanctitatem, vel ad Rmum Ministrum Generalem Ordinis, vt constat ex ipsius appellatione in Processu, fol. 18.

304 Appellatio enim alternativa non tenet. Alexand. *cons.*79 *in causa, & lite, num.*6. *&* 8. *lib.*7. Ruginellus *tract.de appellat.* §.2. *cap.*4. *num.*35, *vers. Vbi verò, fol.*147. Rebufus *tract. de appellationibus, art.vltim. Glos.*1. *num.*10. *&* 11.*tom.*3.*fol.*535 Quæ sententia, loquendo de iure Canonico, est vera Franch. *in Rubric. n.*8. *de appellat. & in cap.*66. *Dilecti, quæst.* 19.*sub num.*59. *vers. Tu adverte, quòd de iure Canonico.* Paulus de Castro *in l.*1. §. *Si quis in appellat. in fin. num.*6. *vers. Ex prædictis.* Aretinus, citatus à Scacia *de appellat.quæst.*9.*num.*1. *vers. Tertia opinio.* Cuius ratio est, quia Iudex, à quo, debet esse certus ad quem interposita sit appellatio; forrè enim daret Apostolos Reverentiales, si intelligeret, esse appellatum ad Papam, & non sic faceret, nec faciet, si alternatur ad alium Iudicem. Franchis *dict. cap.*66. *Dilecti, sub num.*59.*in fin.*

305 Requiritur enim, quòd appellans, vt determinet Iudicem appellationis in ipsa appellatione, vel quòd intra legitima tempora appellandi determinet Iudicem, quem posuit alternativum in libello appellationis; aliàs, elapso tempore ad appellandum, & non facta declaratione, sententia transit in iudicatum, secundùm ea, quæ scribunt Gamb. *tract.de auctorit. Leg.de latere, lib.*8.*quæst.*26.*num.*114. *& seq. fol.*212. Alexand. *cons.*79. *in causa, & lite, n.*6. *&* 8 *lib.*7. Ioan. Ferrar. *tract. de appellat. lib.*2. *cap.*5.*num.*140. *& lib.*3.*cap.*9. *vers. Quintò Superiorem, num.*247.*tom.*5. *fol.*75.

306 Secundò iustè denegata fuit appellatio Patri Lopez; quia Officialis malè administrans, & suspensus ab administratione non potest appellare, ad hoc vt interim pœna executioni non committatur. *L. Nulli Officialium, C. quorum appellationes non recipiendæ.* Avend. *de exequendis mandatis, lib.*1. *cap.*10. *à num.*25. Aceved. *l.*12.*num.*2.*tit.*5. *lib.*3. *nouæ Recopilat.* Mastrill. *de Magistratib. lib.*2.*cap.*9 *à num.*13. Farinac. *in prax. crimin. quæst.*101. *num.*89. Barbos. *vot.decis.lib.*1.*vot.*4.*dub.*3.*num.*62.

307 Quacumque enim appellatione non obstante, potuit deveniri ad executionem suspensionis sine vitio attentatorum. Lancelot. *de attent.*

attent. part. 2. cap. 12. num. 2. Maranta *de Ordine iuditiali, de appellat. num.* 193. Salgado *de Regia Protect. part. 3. cap. 8. à num. 2. & præcipuè, num. 9.* ibi: *Quibus quidem conuenit, quòd Officialis suspensus, vel priuatus officio administrationis, vel alias quoquemodo condemnatus in syndicatu, non potest, appellatione pendente, officio uti, cùm pœna in eius iudicio illata executioni mittatur; ea non obstante; ac ideò Ordinarius denegans delationem, vim non facit.*

337 Maximè, quia quando suspensio, vel privatio Officij fit in executionem alicuius Statuti Regularis assignantis hanc pœnam, & de delicto notoriè constat, non est dandus locus dilationibus reorum, & eorum exceptionibus, vt in simili tenet Fr Iosephus à Sancta Maria *in suo Tribunal. Religiosor. tract. 5. cap. 6. §. 3.* Quod extendit, & meritò, quando à iure est imposita pœna privationis ipso facto; quia tùnc etiam & potiori iure non debet admitti appellatio à suspensione. Concordat Sanchez *in Præcept. Decalogi, tom. 2. lib 6. cap. 8. num. 103.* Barbos. *dict. voto 4. num. 64.*

338 Cùm enim in executionem Decreti Vrbani VIII. lata fuisset suspensio, & infrà declaratio privationis vocis activæ, & passivæ, non erat deferendum tali appellationi. *Cap Consuluit, de appellat.* ibi: *Nec conuenit, vt pro huiusmodi appellationibus ab obseruatione Decreti debeat abstineri. Cap. Relatum, ad finem, de Clericis non residentibus*, ibi: *Nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, si contra huiusmodi intentionem Decreti fuit interiectum*

339 Et licèt appellatio interposita à Patre Lopez à Decreto Provisionali suspensionis à voce, esset valida, & consequenter admittenda, nunc non potest conqueri, nec agere contra Congregationem; quia illius interposita appellatio, & protestatio renunciata est, cùm post illam comparuit in iudicio, & in eadem causa coram Rmo P. Commissario Generali; vt ex ipso Processu liquidò constat.

340 Postquàm enim Pater Lopez appellavit à Decreto Provisionali suspensionis, & protestatus fuit de nullitate Congregationis, comparuit coram sua Rma Paternitate, petendo iuridicè prorogationem temporis, ad se defendendum. (constat ex Processu, fol. 19.) Comparuit iterùm, præsentando satisfactiones ad gravamina illi data: (constat ex Processu à fol. 21 vsque ad 23.) Comparuit tertiò petendo prorogationem termini defensorij: (constat ex processu, fol. 33.) Comparuit insuper, exhibendo defensiones: (constat ex Processu à fol. 35. vsque ad 40) Comparuit denique præsentando testes, & interrogatoria super quæ examinari debebant in sui defensionem: (constat ex Processu, fol 45.)

341 Quando enim appellans comparet coram Iudice, à quo appellavit in eadem causa appellationis, tacitè renunciat appellationi. Franchis *in cap. 17. cùm teneamur sub num. 4. vers. vltim. Tene menti; & in cap. 4. Solicitudinem, quæst. 6. num. 10. de appellat.* Rebufus *tract. de appellat. artic. 15. Glos. 1. num. 7. vers. Tacitè, tom. 3. fol. 517* Capiciaquensis *decis. 29. appellat. num. 1. part. 1.* Lancelot. *tract. de attent. part. 2. cap. 2 de attentat. & innouand. appellat. pendent. in præfatione, num. 15. & seq. vers. Primò renunciationes tom. 5. column. 347.* Rugiinelus *tract. de appellat. §. 9. Glos. 1. cap. 1. num. 41. vers. Insuper* Et quod appellatio non valeat quando appellans consentit post appellationem coram illo Iudice, à quo appellavit, litigare, vel causam prosequi, scripsit Neap. à Monral. *tract. de exceptionib. art 24. contra appellationes, num. 16. tom. 3. part. 2. fol. 126.*

342 Cuius ratio est; quia si reus opponat contra Iudicem exceptionem incompetentiæ, & post oppositam exceptionem incompetentiæ compareat, & litiget coram eo, censetur renunciasse illi exceptioni. Lancelot. *tract de attent. part. 2. cap. 6. de attent. post recusation. num. 28. vers. Secundò quando, fol* 340. Et ex Abbate, Alexandro, Maranta, & cõmuni. Scacia *lib. 1. cap. 1. sub num. 19. vers. Hæc conclusio, & de appellat. quæst. 17. limitat. 2. num. 14.* Ergo idem dicendum est, quando appellans iterùm apparet coram Iudice, à quo appellatum fuit, & causam prosequitur; quia tunc emittit actum approbatorium iurisdictionis contra actum declinatorium, quem intendit per appellationem.

343 Et cùm actus declinatorius iurisdictionis, qui intenditur per appellationem Iudicis, à quo, sit contrarius actui gesto iuridicè coram eodem Iudicè, cùm per illum inducatur consensus in illius iurisdictionem, vnum excludit alterum; & cùm actus iuridicè factus post appellationem coram eodem Iudice sit quid facti, & posterior ad actum appellationis, meritò excludit appellationem. Primò, quia voluntas magis facto, quam verbo ostenditur; & animus ab operibus operantis dignoscitur; & talis præsumitur, qualem facta demonstrant. *l. final, ff. de dolo.* Grammaticus *cons. 15. num. 2. & 3.* Mascardus *de probationibus, conclus. 95. num. 1. & seq* Farinacius *in Praxi Crimin quæst. 89. num. 76.* Facta autem sunt fortiora ad animum demonstrandum. *l. certo, ff. si certum petatur: Cap. Dilecti, de appellat.* Cephalus *cons. 77. num. 2. & cons. 96. num. 27 lib. 1.* Secundò; quia posteriora derogant prioribus. Scacia *de appellat. quæst. 17. limitat. 2. num. 27.* Et per consequens cùm Pater Ferdinandus Lopez post appellationem à Decreto Provisionali suspensionis comparuerit coram Rmo P. Commissario Generali ad suæ causæ prosecutionem, ex quo consensit in suam iurisdictionem; dicendum est, quòd renunciaverit appellationi interpositæ.

344 Nec attendendæ sunt protestationes de nullitate Congregationis factæ à Patribus Lopez, & Francès; quia dictæ protestationes non fuerunt repetitæ in omnibus actibus Congregationis, nec ante confirmationem electionum, nec post lectam Tabulam Congregationis in plena Communitate: & protestatio, quæ

non repetitur in omnibus actibus iudicialibus subsecutis, nihil relevat. Mohedanus *decis.* 44 (alias 2.) *de iudicijs.* Caputaquens. *decis.* 403. *p.* 2. Seraphinus *decis.* 502. *num.* 2. Barbos. *Vota decisiua, lib.* 2. *voto* 51. *n.* 27. 28. *&* 30. Idem *lib.* 3. *vot.* 126. *n.* 310. Gregor. XV. *decis.* 44 *n.* 8. Cavaler. *decis.* 135. *n.* 3. Ludovisius *decis.* 44. *num.* 8. Lezana *tom.* 4. *consult.* 47. *à n.* 144. Et si protestans nõ repetit in omnibus protestationem, censetur ab ea recessisse. Rota apud Paulum de Rubeis *decis.* 29. *num.* 19. *& decis.* 91. *num.* 12. *tom.* 2. *diuersorum.* Aliàs *p.* 6. *recentior.* apud Lezanam *dict. tom.* 4 *consult.* 47. *num.* 14.

345 Minùs rectè vocatur R. Pater Lopez exclusus ab electionibus Congregationis, de quo conqueritur, & propterea dicit de nullitate dictæ Congregationis, & electionum. Ad cuius intelligentiam notandum venit, quòd Rmus P. Commissarius Generalis bis convocavit Vocales Congregationis intermediæ. Primò convocavit illos ad celebrandam Congregationem die 19. mensis Aprilis 1698. Et quia tunc propter allegata in primo dubio non potuit Congregationem celebrare, necessariò suspensa fuit, intra quod tempus huius suspensionis declaratum fuit, Patrem Francès fuisse notoriè sententiatum in Sancto Officio, & per consequens inhabilem ad omnia Officia Ordinis. Cùmque ex Summaria, inquirendo in communi de promoventibus dictum Patrem Francès, resultaret contra Patrem Lopez, captaque illius confessione, & dando illi gravamina, vt se defenderet, nè Congregatio nimis differretur, propositum fuit à sua Rma Paternitate Patri Lopez, vt abstineret ab interessentia Congregationis, suspendendo illum à voce activa, quatenùs opus esset.

346 Hoc facto, convocavit secundò Vocales Congregationis ad diem 27. Aprilis, & non fuit vocatus dictus Pater Lopez, minùsque Pater Francès; & sic sine illorum convocatione celebrata fuit Congregatio dicto die 27. Aprilis. Ex hoc autem non potest conqueri Pater Lopez de exclusione à Congregatione, quia non fuit exclusus ab illa, sed non vocatus ad illam. Exclusus enim ab electione supponitur vocatus, & ab illa eiectus. Non vocatus ad electionem non eijcitur ab electione; & quamvis R. Pater Lopez non posset eijci ab electione, quia non erat privatus, nec declaratus incursus in pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, vtpote promovens Patrem Francès contra Decretum Vrbani VIII. poterat tamen non vocari ad electionem; quia poterat sufficienter probari, fuisse incursum in pœnas Decreti Vrbani VIII. & licèt non esset privatus, ad non vocandum illum sufficiens erat, quòd posteà posset convinci, & privatus declarari.

347 Innocentius *cap. Cum Vintoniens. de elect.* Panormit *cap.* 2. *de postulatione Pralatorum*, & ibi Ancharran Boich *in cap. Illa quotidiana, de elect.* Sylvest. *verb. Electio, num.* 1. 3. *&* 6. *final.* Tabiena *verb. Electio, num.* 4. Cuch. *lib.* 4. *tit. de electione, num.* 122. Barbos. *ad cap.* 2. *de postulatione Pralator. num.* 4. *final, & lib.* 1. *de iure Eccles. cap.* 19. *num.* 89.

348 Miranda *tom.* 2. *Directorij, quæst.* 23, *art.* 5. *conclus.* 3. ibi; *Valet electio facta, non vocatis illis, qui sunt priuati, vel inhabiles ad eligendum.* Quin verò addit, & dicit, quòd valet, *licèt primum non sit discussum, an sint priuati; nam satis est, quòd posteà possint convinci; quod etiam est multùm notandum, & memoriæ commendandum.*

349 Idem Miranda dicit *tom.* 2. *quæst.* 23. *art.* 6. *conclus.* 3. *in fin.* ibi: *Vltimò adverto, quod qui priuati sunt, vel aliàs inhabiles, etiamsi non vocentur, tenet nihilominus electio, & omnia alia Capitularia, secundùm Panormitanum in cap.* 2. *de Postulat. Pralator, licèt non sit discussum, an sint priuati; quia (vt suprà diximus) sufficit quòd possint posteà convinci, quod multùm est notandum.*

350 Ragius *de Regimine Regul. Centur.* 2. *tract.* 7. *dub.* 156. *num.* 1. *in medio*, explicans illa verba *cap. Quia propter, de elect. & cap. coram, eodem tit.* ibi: *Præsentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse*: commentando illa verba, *qui debent*, hæc habet: *Ad excludendũ quoque qui de iure non debet interesse... num multi prohibentur eligere, vel quia privati sunt, vel aliàs inhabiles. Qui quidem etiamsi non vocentur, tenet nihilominùs electio, & omnia alia Capitularia, licèt nondum sit proclamatum, an sint priuati; quia sufficit quòd posteà possint convinci.*

351 Passerinus *de elect. cap.* 11. *num.* 73. postquàm scripsit, quòd qui est declaratus inhabilis ad eligendum per sententiam Iudicis, non est vocandus ad electionem, sed debet ab illa eijci, & quòd quantumcumque sit notorium delictum alicuius, pro quo non est imposita in iure pœna privationis latæ sententiæ, sed ferendæ, debet talis criminosus ante latam sententiam citari ad electionem.

352 Loquendo de illo, qui ipso iure privatus est voce activa, & passiva, hæc habet verba: *Loquendo igitur de eo, qui talis est, quòd est ipso iure priuatus voce, licèt nondum declaratus; vt qui est excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, vel alio crimine notatus, pro quo est imposita pœna privationis vocis, lata sententia:* Dico, quòd *non est necesse hunc citare, si vel crimen est notorium, vel est tale, vt possit sufficienter probari; ita vt si non vocatus agat de contemptu, audiendus quidem sit; sed tamen vbi in iudicio eius crimen probatum fuerit, electio non erit ad eius instantiam cassanda, quia non fuit illi facta iniuria; & licèt tunc habuerit adhuc quamdam sua vocis possessionem, & quoddam ius, hoc erat infirmum, & debile, & nullum declarandum, vbi de eius delicto constaret, & quidem per sententiam retrotrahendam ad diem commissi criminis. Ideò, vbi posteà in iudicio de crimine constet, iudicandus est priuatus voce tempore electionis, & tanquam is, qui ad illam ius non habuit.*

353 Laborius *de elect. Canonic. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 8. ibi: *Vnde si Electores absentes sint excommunicati, suspensi, vel interdicti notoriè, non officit electioni, si non vocentur: quia etiamsi non vo-*

vocati venirent, vel præsentes fuerint, non sunt tum alij admittendi; si verò non sunt notoriè censura innodati, posset tamen legitimè probari esse tales, nec vocandi sunt; sed si venirent, & electioni se ingerant non vocati, repelli quidem possunt.

354 Sigismundus de Bononia *tom. ac elect. Canonic. p.1. cap.1. dub.11.* Vbi assignans distinctionem inter Vocalem incursum in delictum notorium, vt nulla posit tergiversatione celari, quia audiendus non est, qui licèt non vocetur ad electionem, tenet electio; & inter Vocalem cuius delicti notorietas non est talis, vt sit inexcusabilis, sed saltèm est dubium, an aliqua illi competat defensio, quod notorium non est sufficiens, vt sine citatione posit procedi ad condemnationem, & de hoc affirmat, quòd si delationes testium non posit purgare, ita vt illorum depositione convincatur, tenet electio celebrata sine illo, quamvis causa delicti ob imminentem celebrationem electionis, non perficiatur. Sic enim habet infrà *num.4.* ibi: *Qui si se de huiusmodi delicto probabilibus argumentis contra delationes testium purgare nequeat; ita vt earum vigore convincatur; tunc nullus ambigendi locus relinquitur, quin electio celebrata, eo non vocato, teneat, quamvis causa ob imminentem electionis celebrationem remaneat imperfecta.*

355 Ex qua benè fundata doctrina sequitur, R. P. Lopez benè non vocatum fuisse, nec convocatum ad Congregationem celebrandam die 27. Aprilis: quia licèt non esset per sententiam adhuc voce privatus, iustificat non convocationem illius, quòd posit posteà convinci, & declarari privatus voce, vtpotè promovens Patris Francès; vt constabat ex testium depositionibus, & ex confessione ipsius Patris Ferdinandi Lopez Nec, quia non vocatus potest agere de contemptu; quia, vt scripsit Passerinus *dict. cap.11. de elect. num.73.* ibi: *Solùm ille, cuius inhabilitas ita est occulta, vt de ea convinci non posit, potest agere de contemptu, si non sit vocatus.*

356 Nec potest conqueri, quòd fuerit ab electione expulsus, vel exclusus; nam, vt dicebamus, aliud est expellere Vocalem, vel excludere illum, ne eligat; & aliud est, illum non vocare. Expellere enim vel excludere, est privare Vocalem possessione eligendi; quod non potest fieri, quando inhabilitas non est notoria, sed indiget Iudicis declaratione. Passerinus suprà. Sed Vocalem non vocare non est privare possessione, sed dicere, & exprimere facto, quòd non vocatus non habet vocem, cùm sit inhabilis certè. Innocentius *cap. Cum Vintoniensis 25. de elect. num.6.* Passerinus *dict. cap.11. num.73.* & concludit ibi: *Ideò non fit iniuria tali Vocali, si non citatur; quia non habet ius, vt non ditatur verbo, & facto, quòd est inhabilis; cùm eius inhabilitas probari posit in iudicio, & cùm iam sit per sententiam iuris privatus iure eligendi, non habet ius, vt vocetur ad electionem, quamvis posit habere ius, vt non eijciatur, & sua possessione non privetur; talis enim si habet ius, vt non auferatur ab eo quod habet, non habet ius, vt detur ei quod non habet.*

357 Rmus enim Commissarius Generalis iussit, non vocari Patrem Lopez ad Congregationem celebrandam die 27. Aprilis, non quia illum suspendit à voce; à voce enim illum non suspendit, nisi *quatenus opus esset*, quæ dictio importat conditionem. Bartolus *in l.1. num.20.* Rebufus *in l. Litus publicum, §. Quatenùs fluit. ff. de verbor. significat.* Mandocius *in Regul. 32. Chancellar. quæst.24. num.3. & 4.* Valençuel. *cons. 115. num.23. tom.2.* Surdo *cons.186. num.20.*

358 Et est dictio limitativa, idemque importat, ac dictio *in quantum. L. Si quis crediderit,* vbi Glos. *ff. de Pactis.* Decius *cons 384 num.2. tom.2.* Rebuf. *in l. Locum, column 10. vers. Quatenùs, ff. de verbor. significat.* Mandocius *de signatura, fol.73. col.1. in princip.* & operatur, vt dispositio adaptetur pro ea parte, pro qua fieri potest. Seraphin. *decis.544.* Barbos. *tractat. varij, dictione 312. num.3.* Sed quia Congregatio poterat celebrari sine illo, & fortè debebat, cùm iam à iure esset ipso iure privatus voce, quia erat promovens, quod satis ex Informativo, & ex eius confessione constabat.

359 Ergo cùm Rmus P. Commissarius Generalis posset Congregationem legitimè celebrare, non citato Patre Lopez, vtpotè infamato, & de quo plusquàm semiplenè probatum erat, fuisse promoventem Patris Francès, quod etiam ex ipsiusmet confessione constabat, & de eo poterat posteà plenè convinci, & à voce per sententiam declaratoriam privari; licèt non posset illum suspendere ab exercitio vocis, cùm suspensio prolata sit limitativè, & conditionaliter, nempe *quatenùs opus esset*, quia non erat opus illum suspendendi ad celebrandam Congregationem sine illo; siquidem absque suspensione illius poterat ritè celebrari, illum non citando, nec vocando: hinc est, quod non potest conqueri dictus Pater Lopez, nec de Decreto Provisionali suspensionis, nec de suimet non vocatione, cùm posteà legitimè fuerit privatus, & sufficiat quòd legitimè posset convinci, & privari: nec potest agere de contemptu ad infirmandam Congregationem.

360 Congregationis propugnatores, & oppositores inscribuntur R. Pater Provincialis Provinciæ Valentinæ, illiusque Diffinitores; vt patet ex libello supplici porrecto SS. D. Innocentio Papæ XII. ad finem impetrandi, nè mitteretur Commissarius Visitator in dictam Provinciam, & nè Capitulum celebraretur vsque ad finem causæ: in quo libello commemoratur aliud Memoriale sub nomine dictorum Patrum Provincialis, & Diffinitorum Sanctitati suæ datum; in eoquè conqueruntur, quòd Congregatio intermedia celebrata fuit, postpositis formalitatibus præscriptis in Constitutionibus Ordinis, & in Bullis Pontificijs; & quòd indebitè exclusi fuerant ab electione legitimi Vocales, & admissi extranei loco illorum.

361 Quod nec secundùm veritatem, nec secundùm ius procedit. Non secundùm veritatem; quia RR. Patres Provincialis, & Diffini-

to-

tores Provinciæ non possunt de hoc conqueri. Quia R. Pater Rodriguez admissus fuerat ad subrogandum in locum P. Victoriæ, tanquam Pater immediatus ab omnibus in Diffinitorio adstantibus, nullo dempto; sicut constat ex Actis Provinciæ ad diem 26. Ianuarij 1697 & ad Cõgregationem intermediam admissus fuit à maiori parte Diffinitorij. Ergo non potest esse verum, quòd de hoc R Pater Provincialis, & Diffinitores Provinciæ conquerantur.

362 R Pater Ybañez fuit electus in Diffinitorem loco Patris Francès, declarati inhabilis, in qua electione habuit dictus Pater Ybañez ex octo suffragijs, ex quibus componebatur Diffinitorium, septem suffragia approbativa, & electivâ, & vnum solùm reprobativum, & negativum. Quomodo ergo poterit Diffinitorium Provinciæ Valentinæ conqueri de electione istius, cùm ipsi fuerint electores?

363 Guardiani electi in Congregatione, vno excepto, cuius in prima ballotatione suffragia approbativa, & reprobativa fuerunt æqualia, & cùm iterum proponeretur iuxta præscriptum nostrarum Constitutionum, *ex cap. 7. §. 36. de Capitulis Provincialibus, num. 7.* ex octo suffragijs habuit sex suffragia approbativa, & duo tantùm negativa (dictus Guardianus erat ex Observantibus, in quorum electionibus non habet suffragium Diffinitor pro Recollectione) alij autem electi habuerunt ferè omnes octo suffragia approbativa, & vnum tantùm reprobativum. Quomodo ergo de hoc potest conqueri Diffinitorium Provinciæ Valentiæ, attenta veritate?

364 Nec dictum Diffinitorium est ex iure legitimus contradictor Congregationis intermediæ, quod suadetur: Primò, quia iuxta ea, quæ pertinent ad Patres Lopez, & Francès, ipsi poterunt agere vel de iniuria facta, vel de contemptu ipsorum ad infirmandam Congregationem, cæteri autem non; quia cùm ex hoc capite agatur de favore privato, & non de publico, solùm contempti, & non alij, sunt legitimi contradictores. Panormitanus *in cap. In Genesim, num. 10. & in cap. Bone, de postulat. Prælater.* Innocentius *in cap. Ad nostram, de iure iurando.* Sigismundus *cap. 1 dub. 10. num. 3.* Passerinus *de elect. num. 120.* ibi: *Quod tamen limitatur, vt solus contemptus possit agere, & instare pro cassatione electionis.*

365 Iuxta ea, quæ pertinent ad R. Patrem Rodriguez, & electionem in Diffinitorem factam de R. Patre Ybañez (& idem iudicium habendum est de omnibus alijs electionibus Congregationis intermediæ) non possunt esse de iure Oppositores, & Contradictores RR. Patres Provincialis, & Diffinitores Provinciæ; quia, vt dictum est, in omnibus ferè electionibus vnus tantùm dedit suffragium negativum, & omnes alij dederunt suffragia approbativa, & electiva. In quo casu intrat illa regula iuris *in 6. num. 21.* desumpta *ex l. licèt, Cod. de actionibus, & obligationibus*: nempè; *quod semel placuit, ampliùs displicere non potest*: quam regulam intelligit Glos. ibi etiam de elect. iuxta Canonem *Dilectissimi 8. quæst. 2.* Quod confirmatur ex alia regula *Iuris in 6. num. 33.* desumpta ex *l. nemo potest mutare, ff. eodem*; scilicèt: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*: quam regulam procedere etiam in electione, probat ibidem Barbosa ex iuribus, & Doctoribus; & roboratur; quia nemo potest venire contra factum suum. Argument. *cap. Diversis fallatijs, de Clericis coniugat. & cap. Proposuit, de filijs Presbyter.* Glos. *in dictam Regulam, quod semel placuit.*

366 Consonat etiam ad dicta caput *Concertationi, de appellat. in 6.* Vbi appellanti ab electione præscribitur tempus decem dierum, quibus transactis solùm conceditur vti iuris remedijs, si tamen electioni non consenserit; quia qui electioni consentiunt, nec appellant, nec audiuntur.

367 Passerinus *de elect. cap. 32. num. 34.* ibi: *Ad secundum dubium dicitur, Regulam generalem esse, vt nullus electioni à se facta possit se opponere:* & infra: *Vnde qui suffragatus fuit in alicuius electione, vel electioni de eo factæ consentit, non potest opponere illi electioni, aut contra formam, aut contra electum, vel ab ea appellare.* Pro qua sententia citat caput *Nulli 8. de elect. in 6.* & ibi Glos. Ioannem Andræam Semin. Franc. & alios DD. Panormitan. *cap. Innotuit 20 de elect. num. 12.*

368 Lezana *tom. 4. cons. 13.* vbi assignans *num. 5.* conditiones ad legitimos Oppositores election. *num. 6.* hæc scribit: *Secunda est, quòd non consenserint tales Oppositores in dictum Capitulum, & eius electiones; quia si consenserunt, repelluntur ab oppositione, seu impugnatione illorum.* Pro quo adducit declarationem S Congregat. Episcopor. & Regular. die 2. Decembris 1643. vbi sic: *Proposita fuit causa Provinciæ Apuliæ inter Patres Electores eiusdem Provinciæ, necnon Patrem Thomam à Grumo, electum, & Patrem Magistrum Felicianum à Polignano, eius Procuratorem ex vna; & P. Magistrum Gregorium Capullum, &c. & Doctores, negotio maturè discusso, fuerunt in voto, institutionem Patris Capulli non posse, nec debere ab eis impugnari, cùm semel in eam consenserint; nec obstare constitutiones, &c.*

369 Addit Passerinus *dict. cap. 32. num. 34.* ex Samuelio *tract. 1. disp. 8. controu. 5. num. 6.* ibi: *Quòd si Electores in reclamando contra electionem ab illis habitam, dicant, se fuisse deceptos amore, vel pretio, aut promissis, seu minis inductos elegisse, non sunt audiendi.*

370 Cùm ergo constet, R. Patrem Provincialem, & Diffinitores Provinciæ Valentinæ consensisse in electionem Diffinitoris in locum Patris Francès, consensisse in Congregationem, illiusque electiones; cùm ferè in omnibus, vt manet dictum, non reperiretur nisi vnum suffragium negativum; consequens est, dictos RR. Patres Provincialem, & Diffinitores Provinciæ Valentiæ non esse de iure legitimos oppositores. Ideò nec attendendi, nec audiendi sunt, cùm consenserint in Congregationem, & in electiones.

Cla-

371 Clamant igitur iura, vt in simili controversia incepit suum consultum Lezana *tom. 4. cons. 39. num. 2.* pro defensione gestorum à Rmo P. Commissario Generali in Cógregatione Valentinæ Provinciæ, non solùm ex allegatis, quæ iustificant acta à sua Rma Paternitate in dicta Congregatione, sed etiam, quia omnia, quæ contra illam possunt allegari, & adduci, non possunt cócludere plenam probationem: & quando plenè non probantur nullitates electionis, decidendum est pro electione, & eius validitate, iuxta doctrinam celeberrimi Doctoris Navarri, qui *lib. 5. consil de Iudæis, cons. 1. num. 6.* dum quærit, quæ probatio sit necessaria ad excludendum aliquem ab aliqua electione, hæc habet:

372 *Respondeo, quòd ad impediendam electionem videtur sufficicere semiplena probatio. Argum. text. sing. in cap. Præterà (el segundo de sponsal.) qui probat, propter dictum vnius testis, & semiplenam probationem impedimenti affinitatis, impediendum esse matrimonium nondum contractum, nè contrahatur: si autem est jam electus, & confirmatus, requiritur plena probatio ad reijciendum, & exauthorandum Argum. cap. Super his, do accusat. & pro vtroque dicto facit cap. Quemadmodum, de iureiur. quatenùs probat, quòd* Turpiùs eijcitur, quàm non admittitur hospes.

373 Lezana *tom. 4 cons* 13. vbi agit de validitate cuiusdam Capituli Provincialis, & electionum in ipso factarum, postquam adducit Decretum Eminentissimi Cardinalis Protectoris illius Religionis, & aliorum Consultorum pro validitate dicti Capituli; hæc habet n. 90. *Motius verò seu causæ, aut rationes, quibus permotus Eminentissimus, cum Rmis alijs, & grauissimis Consultoribus, præfatum Decretum edidit, non solùm fuerunt, quòd nullitates prætensæ contra præfatum Capitulum, & eius electiones sufficienter ex dictis evacuabantur; sed etiam doctrina celebrrimi Doctoris Nauarri.* Pro qua etiam sententia citat Lezana Iulium Laborium *de elect. cap. 19. num. 221.* & Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 14. art. 3.*

374 Faciunt etiam; quia actus in dubio debet interpretari validus. *L. Quoties, ff. de rebus dub. l. Quoties, ff. de verbor. obligat. L. Si quando, ff. de lege 3.* Abbas *cons. 62. in controv. eel. 1. num 2. vers. 3. lib. 2.* Rolandus à Valle *cons. 61. num. 23. & seq. vers. Quintò considerandum, lib. 3.* quod extenditur ad omnem actum latè. Romanus *cons. 180. Si admittamus, num. 4 cum seq.* Barbos. *vot. decis. voto 51. num. 33. & 34.*

375 Interpretatio enim quæ fit pro validitate actus, regina est aliarum interpretationum. Cephalus *cons. 51. num. 39.* Cardin. Mantica *de coniect. vltimar. volunt. lib. 1. tit. 17. num. 3.* Præsumptio enim pro valore actus vincit omnes alias præsumptiones. Decius in *cap. Quoniam,* Abbas *num. 49. vers. 2. limit. de officio Delegati; & cons. 77. num. 5.* Ruinus *cons. 72. n. 3. lib. 2.* Alciatus *de præsumpt. præsumptione 30. num. 5.*

376 Re enim existente dubia, contra nullitatem, & vt actus sustineatur, & magis valeat, quàm pereat, Iudex iudicare debebit Barbos. *dict. vot. 51. num. 33.* Cum autem evidentissimum ex dictis appareat, adversariorum oppositiones (si alicuius momenti æstimari debent) rem facere dumtaxat dubiam, probabilem, & disputabilem; vtique in favorem rei gestæ iudicandum venit. Lezana *dict cons 39. num. 2. in fin.* Ad quod dicit Sanctorus *sup. stat. cap. 8. Statut. 13.* ibi: *Minùs enim malum est confirmare dubiam electionem, quàm nouam cum scandalo celebrare.*

377 Eminentissimus Cardinalis de Luca *de Regularib. decis. 11. num. 11.* ibi: *Nihilominus dicebamus, vt sufficeret casum reddi probabilem, in quo pro electionis validitate respondendum est; cùm validitatis præsumptio potiùs assistat: ex his, cæterisque relatis, quæ habentur decis. 289. p. 2. recentior. num. 25. & sequent. ex auctoritate Canonistarum in cap. Licèt Episcopus, de Prebendis, in 6.*

378 Et adhuc interveniente nullitate, si actus electionis non redolet turpitudinem, seu machinationem, S Congregatio, insequendo stylum antiquum Sedis Apostolicæ, sanat nullitatem, seu deputat electum ex integro, vt de praxi testatur Eminentissimus de Luca *de Regularib. dict. disc. 11. num. 12.* ibi: *In quæstionibus, de quibus frequenter super electionibus Provincialium agit, contingit in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium, etiam vbi in electione adesset aliquis defectus, ob quem de stricto iure illa invalida censenda veniret; adhuc tamen vbi sit nullitas, quæ proveniat solùm à subtilitate iuris, adeò vt actus non redoleat turpitudinem, seu machinationem, S. Congregatio solent nullitatem sanare, seu ex integro electum deputare, inhærendo antiquo Sedis Apostolicæ stylo, quem etiam hodie retinet S. Congregatio Consistorialis in electionibus Episcoporum.*

379 Vnde cum ex dictis nullitates oppositæ maneant enervatæ, venit confirmanda dicta Congregatio, seu Capitulum intermedium, etiamsi versaremur in dubio: nam & arbitrium Iudicis, quando intraret pro validitate Congregationis, interponendum veniret De Luca *dict. disc. 11. num. 13.* ibi: *Attamen id ponderabatur ad quamdam superabundantiam pro dicto effectu; quod scilicèt, etiam vbi versaremur in dubio, adeo vt aliquid intraret Iudicis arbitrium, adhuc tamen istud pro validitate interponendum veniret.*

380 Nam, vt ait Eminentissimus de Luca *dict. disc. 11. de Regul. num. 14. Etiam quando nullitas sit omninò certa, & clara, Pontifex, vel S. Congregatio nullitatem sanat, vel deputationem ex integro facit.* Et etiam respectu Generalis, quando ex nullitate devoluitur electio, asserit de Luca: *Tunc prudenter, ac laudabiliter agit, deputando eumdem electum, qui tali casu esse non debet deterioris conditionis quocumque alio, quem deputare posset, dum per electionis actum, quamvis invtilem, de facto resultat certificatio, quod illa persona grata sit Religioni, seu Provinciæ, atque ab ea digna reputetur.*

381 Lezana *tom. 4. cons. 39. num. 36,* ibi: *Accedit quoque praxis, & stylus Sedis Apostolicæ, & huius*

ius S. Congregationis, quæ sæpiùs ob vitanda præfata inconvenientia, & aliquando minora, solet nullitates Capitulorum supplere, personas electas confirmando, vel de novo instituendo; quod prudentissimè, & iustissimè efficitur ob commune bonum.

382 Et vltimò; quia electiones factæ in Congregatione intermedia ab omnibus ferè fuerunt approbatæ, suffragantibus omnibus, dempto vno, pro electis. Ex quo dignoscitur, quòd personæ electæ sunt valdè dignæ, & consequenter confirmatio illarum electionum à S. Congregatione, veluti debita, postulatur, iuxta allegata à Lezana *dict. consf. 39. num. 33.*

383 Vndè, cùm sententiæ, & pœnæ contra Patrem Francès verè, & realiter præcesserint electionem, vt ex meritis Processus, & ex ipsius confessione constat; verèque probatum sit, R. Patrem Lopez, fuisse promoveurem Patris Francès: certo certius est, incursos esse in pœnis contentis in Decreto Vrbani VIII. voce privatos, & inhabiles ad Officia, & gradus Ordinis eo ipso. Et licèt aliqua dubitatio caderet circa modum procedendi, nulla contingere potest super incursum pœnarum. Vnde eorum non vocatio, imò & à Congregatione electio, non potest electiones vitiare; quia vt Rota censuit coram Taya *decis. vltim. post tractatum Thomæ de Rossa, de recta distrib. fruct. & reddit. Ecclesiast. in fine, Et ita conclusum., SIN MINUS PRO IUSTITIA, SALTEM PRO VERITATE.* Et ita concludendum censeo. Salvo in omnibus, &c.

Doct. Ioannes Baptista Losà.

TYPIS OMISSA, ET COMMISSA.

Num. 150. lin. 3. *eligibilem*, lege, *ineligibilem*. Num. 269. lin. penult. *l. Causa*, lege, *Scaccia*. Num. 226. lin 8. *quæst. 26. art. 1.* adde, *in 2. edit. Antuerpiensi anni* 1628. (Quia in prima Salmanticensi anni 1605. invenitur tom. 2. quæst. 25. artic. 1.) Num. 241. lin. 3. *num.* 166. lege, 196. Num. 243. lin. 16. num. 190. lege 214.